DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

*Treasure Room*

# DE POTESTATE LEGIS MVNICIPALIS IN ADVENAS. ET INDIGENAS.

*TRACTATVS GEMINA DISQVISITIONE BIPERTITVS;*

EX PONTIFICVM SANCTIONIBVS, Conciliorum ſcitis, & Theologorum, ac Iuris vtriuſque Conſultorum doctrinis accuratè diſcuſſus:

*In quo prætereà complures conſcientiæ nodi diſtinctè, ſolidéque expediuntur.*

Omnia ſtudio, ac opera DON BERNARDI BARILIS, Taurinenſis I. V. D. Protonotarij Apoſtolici, ac Regiæ Celſitudinis Sabaudiæ Ducis Capellani.

NVNC PRIMVM PRODIT.

*Animarum curam gerentibus, Iudicibúſque pariter, ac Patronis, tam Pontificij, quàm Cæſarei Iuris ſtudioſis maximoperè fructuoſus.*

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

*LVGDVNI,*

Sumptibus CLAVDII DV-FOVR.

*M. DC. XLI.*

Cum Superiorum Permiſſu.

522687




Tr. R
B25

EXCELLENTISSIMO,
GENEROSISSIMOQVE
PRINCIPI,

# D. D. DOM. FELICI A SABAVDIA,

*REGIÆ CELSITVDINIS in Ciſalpina Prouincia Proregi, &c.*

SAPIENTISSIMVS mundi Opifex Deus, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, ſicut rebus pro naturarum diuerſitate quali-



522687

tates, affectionéſque, in creationis primordio, ſingulis indidit varias: ita earum cuilibet conueniens, ac peculiare nomen imponendum decreuit, non modò vt altera ab alia diſcerneretur; verùm etiam, vt etymon, hoc eſt, vis nominis, qua de cauſa, quæque ita nuncupata eſſet [a], ex eo quaſi compendiario ſymbolo deprehenderetur. Vt enim è pluribus vnum, aut alterum proferamus exemplum: tota illa mundi pars, quæ ſupra ignis elementum conſtituta eſt, quam *Æthera* Philoſophi vocant, vno dicitur nomine *Cælum*, à ſtellarum imaginibus, quæ in eo quodammodo cælatæ, ſculptæ, atque inciſæ apparent [b]. Nec ab hoc diſcrepat illud, quod de Eſaü ex ſacris paginis ſingulariter notatur, qui calliditatem, & fraudulentiam Iacob, paternam benedictionem ſibi iure naturæ debitam præripientis, ex nomine argumentatus eſt, inquiens: *Iuſtè* (hoc eſt, rectè, verè, aptè,) *nominatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me*, &c. Iacob autem idem eſt, quod plantam tenens, & ſupplantans [c]. Hinc fit, quòd à nomine multotiens argumenta ſumi, Iura [d] concedant. Hæc porrò (OPTIME PRINCEPS)

a Fab. lib. 1. orat. Inſt. cap. 10. referens Cicer. in Top. Boët. in Top. Cicer.

b D. Ambroſ. lib. 1. Hexamer. cap. 4. Iſidorus lib. 13. Etymolog. c. 4.

c Geneſ. cap. 27. verſ. 36.

d ex Procem. Decret. in verb. Ioannes. & l. 2. §. appellata. & ibi Bart. Salycet. Alex. Iaſon. & DD. omnes. ff. ſi cert. pet.

prælibare

prælibare volui;quatenus,reſerata ianua,nomenclaturæ tuæ myſteriis refertæ paululùm immorari, & ex ea,veluti argumentoſa apis, è floſculo tuorum præconiorum mella colligere, vtcunque poſſim. FELIX nanque nomen Tibi eſt, quòd & felicitatem habeas, alióſque facias eſſe felices. Hinc Seruius[c]: [c] in Daphnid.

*Sis bonus, ô, felixq; tuis.*

Felix prætereà, quia vtilis ſingulis, commodus omnibus. Vnde Martialis[f]: [f] lib. 1. epig. 67.

*Illa manus quondam ſtudiorum fida meorum,*
*Et felix Domino, notáque Cæſaribus.*

Denique Felix, quia fœcundus, ferax, ac fertilis: ſic enim cecinit Poëta[g]: [g] Virg. lib. 2. Georg. verſ. 81.

*Exiit ad cælum ramis felicibus arbos.*

Quid autem,ô FELIX PRINCEPS,de mortalium felicitate Tibi natura negauit?Non illuſtre genus,Regum ex progenie exorto:non ſapientiam, doctrina, atque optimarum artium ſtudiis præſtantiſſimo:non dignitatum culmen, ad ſupremam iam dudum euecto: non rei familiaris idoneas copias, in quo quidem eò felicior, quò in paruo pro dignitate magnificentior: non denique,quod boni Principis præmium eſt,honorem, ſcilicet, & gloriam: cùm enim ea, quam homines

 cupiunt,

cupiunt, gloria nihil ſit aliud, quàm, ſecundùm D. Auguſtinum, iudicium hominum de aliquo benè opinantium: qualis, quantúſque accedit Tibi gloriæ decor, cuius vnius felicitati, & curæ, omnium votis, Sereniſſ. CAROLI EMMANVELIS, Sabaudiæ Ducis, in tanta Regni, rerúmque ſuarum infelicitate, vt in ſecura ſtatione tutus degeret, & educatio commendata eſt, & perſona fideliter concredita? Hoc verò eſt miro quodam modo Principi ſuum officium exhibere, quòd ſupra conditionem ſubditi efferatur: hoc, inquam, eſt pro parente Domino ſuo ſe gerere: quod tum maximè enituit, cùm illi Stirpis Saxonum Regiæ Proli, CAROLO MAGNO, Cypriorum Regi, Sereniſſima eius Matre intra Arcem incluſa, & hoſtilibus obſepta aciebus, in tanto; & libertatis, & ditionis diſcrimine, nutu planè diuino, Felix datus es Nutritius, ac ſolers, Conſiliarius prudens, Adiutor fortis.

Cùm igitur in ſolis virtutibus, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, ſitam eſſe felicitatem haudquaquam Te lateat, eas, quibus potiſſimùm exornaris pariter, & refulges, paucis enarrantem modicùm ſuſtinere

non

non dedignabere. Neque verò aſſentationi, ( quod eſſet vtique nefas ; ) ſed cum primis obſeruantiæ in Te meæ, tum maximè veritati ſtudeo. Religione itaque, ac pietate, ſiue cultum rerum diuinarum conſidero, ſiue tui debitum officij proſpecto, præcipuè nites. Hanc præclaram Religionis virtutem cùm Oratorum facilè Princeps felicitatis matrem, & ſemen ipſe agnoſcat, ex ea Te quoque, F E L I X, eſſe progenitum non immeritò dixerim : quapropter, F E L I X, quæcunque moliris, feliciter cedunt. Hinc ille intemeratæ Iuſtitiæ tenor, abſque vlla, vel minima eius, quæ Tibi innata eſt, Clementiæ macula: ſunt eæ geminæ alæ, quæ Te præ cæteris Deo proximum faciunt. Aurea nanque eſt illa Poëtæ vox :

*------ ---Cùm vincamur in omni*
*Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis*[2].

Ex hoc fonte ſyncerus emanat in patriam amor, ſanctarum inuiolabilis obſeruantia legum, morum præterea dulcedo, ac beneuolentia, quibus, veluti quodam fatali glutino, omnium animos Tibi deuincis. Pulcherrimum nanque eſt, & in Principe viro longè ſpecioſiſſimum, exhibere ſeſe omnibus obuium,

a Claud. dian. *de 4. conſul. Hon. ver.* 276.

Iuſtinian. l. *Imperialis. C. de nup.* Authent. *vt Iudex ſine quoquo ſuffr. § itaque. coll. 2.* & l. fin. in fin. *ff. de donat. int. vir. & vxor.*

iumu, atque facilem; audire benignè, & comiter deſideria adeuntium, quo nihil efficacius, nihilque vehementius ad gratiam conciliandam. Ad hæc, quid de tua, tum ſcientia, tum ſapientia, vnde miranda, qua præcellis, prudentia coaluit, ſatis dicam? Nempe, ſapiens cùm ſis, ſapientes quoque præcipuo proſequeris honore, adiutorio colis, vt mehercule cum Diuino Platone iure merito clamare minimè dubitauerim, Beatam Sabaudiam, in qua & Philoſophi regnant, & Principes philoſophantur. Denique eam animi tui fortitudinem, & conſtantiam, quæ Te, neque aduerſis frangi, neque etiam extolli permittit ſecundis, laudare quis valeat? Me dies antè tranſiret, quàm virtutum tuarum ſeriem planè dinumerare valerem. Vno equidem verbo cuncta complectar. FELIX es, & nomine, & re, non tam Tibi, quàm etiam & aliis: Tibi, quia virtutum, atque bonarum artium ferax; cæteris, quorum commodis, vtilitatibúſque ingenuo, ac indefeſſo ſtudes animo.

Iam verò, (cogor enim tandem totius Epiſtolæ huius clauſulam Excellentiæ tuæ aperire,) ne tantæ felicitatis ipſe ſolus expers

pers inueniar ; Opuſculum meum de poteſtate Legis Municipalis in aduenas, ac indigenas ſuo originali domicilio extorres,cuius diſceptationes ante annum,Te audiente,voce tenus,priuata, vt noſti, exigente neceſſitate,à me agitatæ fuerunt, nunc demum ea, qua potui, diligentia digeſtum, ac elaboratum,ſub tuis felicibus Auſpiciis prælo committere, atque tuo Nomini dedicare,conſecraréque volui. Munuſculum ſanè,vt aiunt, leuidenſæ fateor, nec tam felici ſplendore dignum ; ſed tamen meæ in Excellentiam tuam (ſi dignabere) obſeruantiæ,ac ſeruitutis fidele, integrum, firmumq́ue monumentum.

EXCELLENTIÆ TVÆ,

Addictiſſimus ſeruus,
DON BERNARDVS BARILIS.

# ERVDITISSIMO LECTORI.

*IN hac Opella (Optime Lector) duplicis generis fercula, veluti in penario contracta, & recondita inuenies; alterum voluptatis; alterum neceſsitatis ſimul, & vtilitatis. Veruntamen, priuſquàm ad delibandum accedas, tria guſtatus tui præparandi gratia neceſſariò præmittenda exiſtimaui; rei, videlicet, materiam, formam, & finem, ſiue motiuum. Et materiam quidem nouam licèt me tibi proferre polliceri non audeam, cùm à Sapiente ſcriptum ſit:* Nihil ſub Sole nouum. [a] *neque tamen omninò tritam; neque vulgarem; eò quòd verſetur circa vim legum municipalium in aduenas, atque indigenas; quæ Tractatio multiplices, eáſque difficiles, & reconditas, vt legentibus manifeſtum erit, continet quæſtiones. A difficilibus autem perſæpè abhorret animus. Quamobrem, vt huiuſmodi diſputationum lectio iucunda foret, formam quandam adhibere curaui, quæ conſiſtit, non in fuco verborum, aut ſermonis lepôre, (ornari enim res ipſa negat, contenta doceri;) ſed potiſsimùm in ordine, methodo, diſtinctionibus, reſtrictionibus, extenſionibus, aliíſque conſimilibus viis, & rationibus, quibus obſcura ad meridiem, confuſa ad ſimplicitatem, diſtorta ad rectitudinem, denique aſpera ad æqualitatem viri docti reducere conſueuerunt. Accedunt quædam non ingrata promiſcui generis additamenta, Operi ſubinde intexta, quæ inſtar condimenti gulam prouocent, appetentiam irritent pariter, & delectationi inſeruiant. Reliquum eſt, vt & de Operis finali cauſa, ſiue de anſa, & motiuo illius, breuiter quoque edocearis. Id præcipuum fuit immemorabilis quædam conſuetudo à temporibus S. Mamerti, Viennæ Allobrogum-*

[a] Eccleſiaſt. cap. 1. verſ. 10.

*Allobrogum Epiſcopi, in totam penè Gallicanam Eccleſiam introducta, de non manducandis carnibus; cum ieiunio, quod temporis decurſu, frigeſcente charitate, in diſſuetudinem deuenit, ſola tantùm ab eſu carnium remanſit abſtinentia, quæ hucvſque ibidem obſeruatur triduo ante Dominicam Aſcenſionem, quod* Rogationes *vocant. Nam, cùm anno præterito Sereniſſimus Sabaudiæ Dux, Cypriorúmque Rex, ætate non ampliùs annorum quinque, è Pedemontio ſuo originali domicilio, & à præfata abſtinentiæ conſuetudine immuni, belli clamores, & pericula euitandi gratia in Sabaudiam vnà cum tota Familia transmigraſſet, atque vbi reſideret, vrbem Camberienſem, in qua ea conſuetudo inuiolabiliter obſeruatur, ad tempus ſibi delegiſſet: accidit, vt appropinquante prædicto Rogationum triduo, Familiares, & Miniſtri Principis de eadem abſtinentiæ obligatione dubitare cœperint, nonnullis eos omninò teneri aſſerentibus. Re tandem ad me delata, accuratéque diſcuſſa; eorum, quæ ad obligandum ſimpliciter requiruntur non ignarus, eoſdem Ducis Domeſticos, vtpote aduenas, ab huiuſmodi abſtinentia (ſecluſo tamen ſcandalo) liberrimos adiudicaui. Hanc porrò ſententiam, quanuis ſuis non careat aduerſariis; tamen in conſcientia tutam, & practico vſu tenendam ego affirmo, & contendo; imò liberè, exactè, omníque diligentia, qua valeo, maiori, tam iuribus, quàm rationibus, præclariſsimorúmque vtriuſque Claſsis Doctorum, necnon Theologorum teſtimoniis omnes oppugnatorum argumentationes, & difficultates in hoc bipertito Tractatu enodare, conuincere, diſſoluere, eáſque ad veritatis lumen reuocare, & promitto, & profiteor. Denique, cùm huiuſmodi Opuſculum, tam in foro interiori, pœnitentiæ iudicium facientibus, quàm viris doctis non minùs vtile, quàm neceſſarium fore, nonnulli ingenio, & doctrina præſtantiſsimi aſſeuerauerint; eorum authoritati, imò & precibus, vt par eſt, plurimùm deferens, & Reipub. commoditati proſpiciens, illud in lucem prodire, & permiſi, & operæpretium duxi. Vale.*

# ELENCHVS DISQVISITIONVM, & Paragraphorum huius Libri.

## DISQVISITIO PRIMA.

NVM *aduenæ teneantur legibus, & conſuetudinibus locorum, ad quæ confluunt.* pag. 1.

*Paragraphus I.* Proponitur legis eccleſiaſticæ, & ſæcularis obſeruatio, earúmque diuiſio. ibid.

*Paragr. II.* Proponitur conſuetudinis obſeruatio, eiúſque diuiſio, & etiam efficacia circa feſtorum inſtitutionem. pag. 11.

*Paragraph. III.* Quibuſnam de cauſis forenſes legibus, & conſuetudinibus municipalibus ſubiiciantur; & quibus eiſdem aliquando aſtringantur, proponitur. pag. 20.

*Paragraph. IV.* De domicilio, eius diuiſione, & quibus acquiratur modis, ad hoc, vt quis legibus, & conſuetudinibus municipalibus obligetur, exactè agitur. pag. 33.

*Paragraph. V.* De obſeruatione legis communis, atque contractuum, ab aduenis, & forenſibus, in locis, in quibus moram trahunt, ſolidè tractatur. pag. 60.

## DISQVISITIO ALTERA.

AN *ciues patria extorres legibus patriis aſtringantur, reſoluitur.* pag. 77.

*Paragraph. Vnicus.* Quidnam valeat ſtatutum, & conſuetudo municipalis circa ciues extra territorium delinquentes, proponitur, atque diſcutitur. pag. 78.

AD

# AD PERILLVSTREM, ADMODVMQVE REVERENDVM

# D.D. BERNARDVM BARILEM,

## IN LIBRVM SVVM DE LEGE MVNICIPALI IN ADVENAS, ET INDIGENAS.

## MIRARE, QVISQVIS HÆC LEGIS.

*QVOD olim vel in libris timebatur, amari iam cœpit:*
*Eſuriale argumentum, animorum conuiuium factum eſt.*
*Sed hoc,* BARILIS, *Ingenio tuo debet,*
*Cuius amœnitas etiam ieiuniorum aſperitatem mitigat.*
*Hoc debet Pietati tuæ,*
*Qua puras quotidie manus Altaribus admoues.*
*Et vota Regiæ Domus, dignus es, qui offeras Deo.*
*Nec mirum, ſi Libro tuo fauent homines, quando vocibus tuis annuit* NVMEN.
*Captant alij lepida argumenta, ne diſpliceant:*
*Tuum ſemper eſt, vel de ieiunio diſputantem, placuiſſe.*
*Si paria argumenta tractares, florerent omnia in manibus tuis,*
*Et è ſpinis colligeres roſas.*
*Oſtendiſti vnico Libello, quid poſſes.*
*Iámque vulgaris querela eſt, te breuiorem omnium opinione fuiſſe:*
*Effeciſti tamen illa breuitate, vt Lectoribus ieiunia longa placerent,*
*Quæ olim, niſi breuia, niſi nulla, non placebant.*
*Perge, ac ſcribe eodem animo, quo cœpiſti.*
*Ego felices annos Ingenio tuo precor;*
*Et Regnatrici Domui, cui ſeruis, Æternitatem.*

Deuotiſſimus Seruus,
CLAVDIVS CONTE.

PIISSIMI, NOBILISSIMI,
ERVDITISSIMIQVE
I. V. D.

# D. DON BERNARDI BARILIS

PIETATI CONSECRAT,
NOBILITATI DEVOVET,
ERVDITIONI DEDICAT

*TYPOGRAPHVS LVGDVNENSIS,*

καθ' ἐξοχὴν,

IN LIBRVM SVVM DE LEGE
MVNICIPALI,

ΟΚΤΑΣΤΟΙΧΟΝ.

*PARVA velut ſcintilla vagos glomeratur in ignes,*
*Creſcitque è minimo maxima flamma foco:*
*Sic quæ, Docte, tui, BERNARDE, Voluminis anſa*
*Capta tibi eſt; Iuris Quæſtio parua fuit.*
*Quòd ſi de reliquis non tritis condere Libros*
*Pergas, Nobilis Ars vix tibi ſufficiet.*
*Perge tamen: nam diuinis afflantibus auris,*
*Hoc magè noſtra ferax, quo tua Docta, Manus.*

M. GAVTHERIN.

# CENSVRA OPERIS.

NOs infraſcripti Almæ Pariſienſis Facultatis Doctores, *Tractatum geminæ Diſquiſitionis de poteſtate Legis Municipalis in aduenas, & indigenas, Authore Domino Don Bernardo Barile, I.V.D.* perlegimus, nihilque in eo fidei orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium animaduertimus: imò omnia, quæ in eo diſcutiuntur, grauiſſimis teſtimoniis comprobata: ideóque typis mandari digniſſimum cenſuimus. Lugduni in Conuentu Prædicatorum, die 8. Octobris anni 1641.

*Fr. Cl.* COCHET, *humilis Magiſter, & Prior.*

*Fr. S.* MOLIN, *Carmelita.*

*Fr.* IOAN. TESTEFORT, *Ord. Præd.*

# APPROBATIONES.

HÆc gemina Diſquiſitio *de poteſtate Legis Municipalis in aduenas, atque indigenas*, & multam Iuris vtriuſque peritiam redolet, & Theologicis principiis ritè firmatur; adducitque Author, Dominus Don Bernardus Barilis, ex vtroque ordine teſtes, & plurimos, & exceptione maiores, ad ſtabiliendum intentum. Quare videtur mihi digniſſima, quæ ad commune bonum lucem aſpiciat. Gratianopoli, decimaquinta Maij, anno 1640.

CLAVDIVS BERNARDVS,
*Canonicus Theologus Eccleſiæ Gratianopolitanæ.*

OPus hoc *De poteſtate Legis Municipalis in aduenas, & indigenas*, à Domino Don Bernardo Barile elaboratum vidi, & nihil in eo contra fidem, aut bonos mores contineri affirmo; ſed doctrinam ſolida ſtabilitate fundatam. Opus ſanè digniſſimum, vt typis mandetur, perneceſſarium eſſe, & multùm vtile cenſeo ego ſacræ Theologiæ, & Iurium Doctor. Camberij vigeſima Maij, 1640.

DE LA GRANGE, *Decan. Aquenſ.*

Facultas

## *Facultas huius Libri imprimendi.*

VIſis à nobis præfatorum Reuerendorum Doctorum atteſtationibus, de mittendo ſub prælum hoc Opere, inſcripto: *De poteſtate Legis Municipalis in aduenas, & indigenas*, &c. *Authore D. Bernardo Barile, vtriuſque Iuris Doctore*, &c. annuendum cenſuimus. Lugduni 9. Nouembris, 1641.

*DEVILLE, Vic. Gen. ſubſtitutus.*

## CONSENSVS.

LIbrum inſcriptum: *De poteſtate Legis Municipalis in aduenas, & indigenas*, &c. *Authore D. Bernardo Barile*, ſumptibus Claudij du-Four typis mandari, & in publicum dari, cum prohibitionibus hoc in caſu requiſitis, ego Aduocatus Regius in Lugdunenſi Præfectura, conſentio. Lugduni die 27. Nouembris, 1641.

*BOLLIOVD.*

## PERMISSIO.

LIbrum, qui inſcribitur: *De poteſtate Legis Municipalis in aduenas, & indigenas*, &c. *Authore D. Bernardo Barile*, &c. à Claudio du-Four permittimus typis mandari; ac ne quis citra datam ei poteſtatem denuò excudat, interdicimus. Datum Lugduni, die 27. Nouembris, 1641.

*SEVE.*

DE

# DE POTESTATE LEGIS MVNICIPALIS IN ADVENAS, ET PEREGRINOS,

## DISQVISITIO PRIMA.

*Num aduenæ teneantur legibus, & conſuetudinibus locorum, ad quæ confluunt.*

### PARAGRAPHVS I.

Proponitur legis eccleſiaſticæ, & ſæcularis obſeruatio, earúmque diuiſio.

SVMMARIVM.

1. *Leges ab habente facultatem ſancitæ, & conſuetudines legitimè introductæ, ab omnibus obſeruandæ ſunt.*
2. *Lex diuiditur in naturalem, diuinam, & humanam.*

3. *Lex ſubdiuiditur in leges eccleſiaſticas, & ſæculares; & quales ſint.*
4. *Leges, & conſuetudines ſæculares ſubdiuiduntur in vniuerſales, municipales, & particulares alicuius Regni, Ducatus, Ciuitatis, & Oppidi.*
5. *Subdiuiduntur leges eccleſiaſticæ, in leges canonicas per Concilia latas.*
6. *Generalia Concilia quot, & qualia.*
7. *Primum Concilium eſt Nicænum, quod aduersùs hæreſim Arianorum celebratum fuit.*
8. *Concilium ſecundum, Conſtantinopolitanum I. aduersùs Macedonicum.*
9. *Concilium Epheſinum aduersùs nouam hæreſim.*
10. *Concilium Chalcedonenſe aduersùs hæreſim Eutychetis Archimandritæ.*
11. *Concilium Conſtantinopolitanum II. contra hæreſim Origenis.*
12. *Conſtantinopolitanum III. contra hæreſim aſſerentium, vnam tantùm eſſe in Chriſto voluntatem.*
13. *Aliud Nicænum, in quo damnati ſunt ſacras Chriſti, & Sanctorum Imagines omni honore ſpoliantes.*
14. *Conſtantinopolitanum IV. in quo damnata fuêre acta contra Symboli particulam loquentia.*
15. *Lateranenſe I. contra Saracenos.*
16. *Lateranenſe II. contra Antipapas.*
17. *Lateranenſe III. contra Vualdenſes.*
18. *Lateranenſe IV. contra varias hæreſes.*
19. *Lugdunenſe I. contra Fridericum Imperatorem.*
20. *Lugdunenſe II. contra errorem Græcorum Epiſcoporum.*
21. *Viennenſe contra varias hæreſes.*
22. *Florentinum contra hæreſes Græcorum.*
23. *Lateranenſe V. contra ſchiſmata.*
24. *Vltimum Tridentinum contra hæreſes Lutheranorum.*
25. *Concilia nationalia qualia.*

26. *Concilia prouincialia qualia.*
27. *Synodalia qualia.*
28. *Generalia Concilia, prouincialia, & ſynodalia quoſnam tangant.*

A CVM omnibus pateat, leges ab habente facultatem rationabiliter ſancitas, atque conſuetudines legitimè introductas ab omnibus obſeruandas eſſe, maximè quatenus ad bonum commune, & ſpirituale ordinantur, iuxta illud Apoſtoli, Roman. cap. 13. verſ. 1. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* & ibid. verſ. 2. *Itaque, qui Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* & verſ. 3. *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* & infrà, verſ. 5. *Ideò neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram; ſed etiam propter* 1

B *conſcientiam.* & ad Titum cap. 3. verſ. 1. *Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* & ad Hebr. cap. 13. verſ. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et Beati Petri cap. 2. verſ. 13. & 14. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tanquàm ab eo miſsis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Hæc, inquam, cùm apud omnes, nemine reclamante, ſint certa; tamen, vt conuenienter intelligantur, ac ne in re vſus propè quotidiani, certè frequentiſſimi, ſpectante conſuetudines, & leges, atque aduenarum ad eas ſeruandas obligationem, onus

C intolerabile, multíſque ſcrupulis obnoxium cuiquam iniiciatur; ſed quiſque in re quotidiana cum omni morali certitudine operetur; rem hanc paulò exactiùs diſcutiendam duxi. Vt autem ſolidè hoc, & ordinatè præſtemus, præmittenda ſunt nonnulla.

Præmitto primò, legem diuidi in naturalem, diuinam, 2
& humanam. De naturali ait Paulus ad Roman. cap. 2.

verſ. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis* A *ſunt, faciunt.* De diuina Ierem. cap. 31. verſ. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* De humana autem Roman. d. cap. 13. verſ. 1. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Eandémque diuiſionem deſcribunt D. Thom. 1.2. *quæſt.* 91. *art.* 1. D. Antonin. *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 7. §. 4. Alex. de Ales *part.* 3. *quæſt.* 26. 27. 28. *&* 29. Angel. *verb. lex, num.* 1. Sotus *lib.* 1. *de iuſt. & iur. quæſt.* 3. *art.* 1. *in princip.* Syluestr. *verb. lex, quæſt.* 1. Greg. de Valent. *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *puncto* 1.

3 Deinde ſubdiuiditur lex in leges eccleſiaſticas, & ſæculares. Eccleſiaſticæ ſunt, quæ à Poteſtate eccleſiaſtica, B nimirum, à Summo Pontifice, à Concilio, ab Epiſcopo, vel ab aliquo Eccleſiæ Prælato emanant, iuxta illud Ioan. cap. 20. verſ. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* & cap. 21. verſ. 17. *Paſce oues meas.* & Luc. cap. 10. verſ. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Matth. cap. 18. verſ. 17. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* & Act. cap. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit Sanguine ſuo.* Sæculares verò leges, & conſuetudines, ſunt, quæ à Poteſtate ſæculari, nempe, ab Imperatore, Rege, Duce, Republica, Com- C munitate, aut ab aliquo alio Superiore ortum habent. l. *quæ ex relationibus.* 2. l. *humanum.* 8. & l. *ſi Imperialis Maieſtas.* 12. *C. de leg. & Conſt. Princip.* l. *formam.* 2. *C. de off. Præfect. Prætor.* & §. *lex, quòd populus Romanus.* Inſt. *de iur. natur. gent. & ciuil.* & cap. *omnis.* 1. *diſt.*

4 Præmitto ſecundò, leges, & conſuetudines prædictas, ſi ſæculares ſint, ſubdiuidi in vniuerſales, municipales, & particulares alicuius Regni, Ducatus, Reipublicæ, Ciuitatis, ſeu Oppidi, quæ dicuntur ſtatuta, ſeu conſtitutiones. §. *ius autem ciuile.* §. *nam, quòd quiſque.* §. *ſed ius quidem ciuile.* Inſt. *de iur. nat. gent. & ciuil.* Vlpianus l. 1. §. *huius ſtudij.* l. *omnes.*

A *nes populi.* 9. *ff. de iuſt. & iur.* l. *leges.* 3. *C. de leg. & Conſt. Prin-*
*cip.* & Bart. in d. l. *omnes. n.* 8. *ff. eod.* & per tot. tit. *de decret.*
*ab ordin. faciend.*

Simili modo ſubdiuiduntur leges eccleſiaſticæ, in leges 5
canonicas, latas per Concilia generalia, nationalia, pro-
uincialia, & ſynodalia. Tria priora membra habentur ex D.
Auguſt. *de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib.* 2. *cap.* 3. vbi ait, *Con-*
*cilia Prouinciarum, vel etiam maiora, qualia ſunt regionum, emen-*
*dari à Conciliis plenariis.* Vltimum verò membrum colligitur
ex Concilio Toletano IV. *cap.* 25. Item ſingulariter teſtan-
tur cap. *regula.* §. *porrò.* cap. *Epiſcoporum.* 18. *diſtinct.* & Gloſ.
B *ibi in verbo, conſtituendum*, cap. *vt animarum. de conſtit. lib.* 6.
& Gloſ. *ibidem, in verbo, ſtatuto Epiſcopi*, cap. *canones genera-*
*lium.* 15. *diſt.* & reliqui omnes canones *per tot. eandem diſt.*
& cap. *ſi quis. de maior. & obed.* cap. *veſtra nobis. de loc. &*
*cond.* cap. fin. *de off. legat.* cap. *quod dicitur.* 16. *diſt.* cap. fin.
*extrà de conſt.* cap. *ex reſcripto. extrà de loc. & cond.* cap. vlt. *de*
*his, quæ fiunt à maior. part. Cap.* cap. *quoniam quidem.* & cap. fin.
8. *diſt.* & cap. *ius ciuile.* 1. *diſt.* & paſſim Doctores omnes
apud Panor. Hoſtien. Decium, & alios Gloſſatores in Ru-
brica *de conſt.* Item etiam S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 4.
Caiet. Medin. *ibidem.* Bellarminus *de controuer. controuerſ.* 4.
C *tract. de Concil. eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 4. Gregor. de Valent. *tom.*
2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 2. *n.* 6. Sot. *lib.* 1. *de iuſt. & iur. quæſt.*
5. *art.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. *verſ. ſecundò quæritur.* Be-
canus *de leg. humana, tract.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 1. Molina *de iuſt. &*
*iure, tract.* 1. *diſp.* 5. *verſ. Hoc conſtituto.* Layman. Salas, & alij.

Generalia Concilia ſunt, quæ vel cum interuentu Ro- 6
mani Pontificis, vel de eius mandato habentur, & quibus
intereſſe poſſunt, & debent Epiſcopi omnes totius Orbis,
niſi legitimè impediantur; & quibus etiam nemo legitimè
præſidet, niſi Summus Pontifex, aut alius eius nomine: &
hæc dicuntur Oecumenica, hoc eſt, Orbis terræ totius Con-
cilia: & hucuſque numerantur decem, & octo; quorum

7 Primum eſt Nicænum, quod celebratum fuit ab anno A à Virgineo partu 327. vſque ad annum 330. de mandato Sancti Syluestri Pontif. Max. anno ſui Pontif. 15. Victore, & Vincentio Vrbis Romæ Presbyteris Legatis ad id ſpecialiter ab eo electis, & deputatis, tempore D. Flauij Conſtantini Imperatoris, anno eius Imperij 20. In hoc Concilio, aduersùs hæreſim Arianorum coacto, præſertim definitæ fuêre duæ controuerſiæ, vna de die Paſchatis, & de Diuinitate Chriſti altera; cui interfuerunt Epiſcopi 318. & quatuor Patriarchæ, ſcilicet, Alexander Alexandrinus, Euſtathius Antiochenus, Macarius Hieroſolymitanus, & Metrophanes Conſtantinopolitanus; licèt poſtremi duo B non eſſent eo tempore Patriarchæ, qui poſteà eam dignitatem conſecuti ſunt, vt refert Metaphraſtes *in Orat. de rebus geſtis apud Nicæam*, quem citat, & ſequitur Bellar. *de controuerſ. in lib. 1. de Concil. cap. 5.*

8 Secundum, Conſtantinopolitanum, ſub Damaſo I. Summo Pontifice, Theodoſio ſeniore imperante, celebratum aduersùs Macedonicum, Spiritus Sancti Diuinitatem negantem, anno Incarnationis Dominicæ 383. cui adfuerunt Epiſcopi 150. & quatuor Patriarchæ.

9 Tertium, Epheſinum, Cæleſtino I. Summo Pontifice, & Theodoſio iuniore imperantibus, habitum anno ſalutis C 434. in quo damnata fuit noua hæreſis, inuenta à Neſtorio Epiſcopo Conſtantinopolitano, Chriſtum in duas perſonas diuidente, qui cauſa fuit huius Concilij, ad quod conuenerunt Epiſcopi 200. & Patriarchæ........

10 Quartum, Chalcedonenſe ſub Leone I. Pontifice Maximo, & Martiano Auguſto Imperatore, anno reparationis noſtræ 454. aduersùs hæreſim Eutychetis Archimandritæ, quæ vnam tantùm in Chriſto naturam aſſerebat poſt Incarnationem. In eo fuerunt Epiſcopi 630. & quatuor Patriarchæ.

11 Quintum, verum generale Conſtantinopolitanum II.

celebratum

A celebratum fuit ſub Vigilio Pontif. Max. & Iuſtiniano Imperatore: & licèt Summus Pontifex, nec per ſe, neque per Legatos interfuerit; libellum tamen illum confirmauit: & hoc celebratum fuit contra hæreſim Origenis, quæ tunc inualeſcebat, in quo damnati fuêre ipſemet, ſimul atque Dydrianus, & Euagrius, eius ſectatores, ac etiam Theodori Mopſueſteni, & Theodoreti Cyrenſis ſcripta, & epiſtola, quæ dicebatur Ibæ, ad Marin. Perſam, anno Incarnationis Chriſti 553. Conuenerunt ad hoc Concilium 165. Epiſcopi, & quatuor Patriarchæ.

B Sextum, habitum fuit apud Conſtantinopolim ab Agathone Sum. Pontif. qui per Legatos ſuos interfuit, & præſedit, Conſtantino Imperatore IV. regnante, contra hæreſim eorum, qui vnam tantùm in Chriſto voluntatem eſſe volebant, anno ſalutis 681. cui interfuerunt Epiſcopi 289. & Patriarchæ duo. 12

Septimum apud Nicæam congregatum fuit ſub Adriano, Pontif. Max. qui per Legatos ſuos præſedit, ac vnà cum Synodo eos damnauit, qui ſacras Chriſti, atque Sanctorum Imagines omni ſpoliabant honore, Conſtantino, & Irena imperantibus. Anno verò Domini 781. conuenére ex C diuerſis locis Epiſcopi 350. vnus tantùm Patriarcha Conſtantinopolitanus, & cæteri fuerunt Legati. 13

Octauum, quod eſt quartum Conſtantinopolitanum, ſub Adriano II. Sum. Pontif. & Baſilio Auguſto Imperatore, anno eius Imperij tertio, cui interfuerunt Epiſcopi 383. è quibus duo Patriarchæ, ſcilicet, Photius, & Ignatius Conſtantinopolitanus perſonaliter; cæteri per Legatos interfuerunt, anno Aduentus Chriſti 870. in quo damnata fuerunt omninò acta præcedentis Synodi ſub Adriano, in quibus ſtatutum erat, vt tolleretur ex Symbolo particula illa, *Filióque*, ſi Scriptoribus credimus. Hactenus de Conciliis orientalibus: modò de occidentalibus. 14

Nonum, Concilium Lateranenſe primum à Calliſto II. Sum. 15

Sum. Pontif. habitum tempore Henrici V. Imperatoris, A
cui adfuerunt Epiſcopi 900. & ampliùs, anno Natiuitatis
Domini 1123. contra Saracenos pro recuperanda terra
ſancta.

16 Decimum eſt Lateranenſe II. Innocentio II. Pontif. Max. & Lothario imperantibus, contra Antipapas, cui reſederunt Epiſcopi mille, anno Chriſti naſcentis 1129.

17 Vndecimum, Lateranenſe III. ſub Alexandro III. Sum. Pontif. & Friderico I. Imperatore, pro reformatione Eccleſiæ, & contra Vvaldenſes, anno Chriſtiano 1180.

18 Duodecimum, Lateranenſe IV. tempore Innocentij III. & Friderici II. contra varias hæreſes, & pro terra ſancta, B
in quo conuenerunt Epiſcopi 473. & 810. Patres, anno Domini 1215.

19 Tertium decimum eſt Lugdunenſe I. Innocentio IV. Sum. Pont. & Friderico II. Imperatore regnantibus, cauſa Friderici prædicti imperio deponendi, & expeditionis in terram ſanctam ſuſcipiendæ, habitum anno ſalutis noſtræ 1255.

20 Decimumquartum eſt Lugdunenſe II. tempore Gregorij Pont. Max. & Michaëlis Palæologi Imperatoris, cui interfuêre Patres ferè mille, ex quibus Epiſcopi 774. erant, contra errores Græcorum, pro reparatione terræ ſanctæ, C
aliiſque de cauſis habitum anno à Chriſto nato 1274.

21 Decimumquintum eſt Viennenſe, tempore Clementis V. Sum. Pont. & Henrici VII. Imperatoris contra varias hæreſes celebratum anno Redemptionis noſtræ 1311. Extant ex hoc Concilio decreta, quæ dicuntur, Clementinæ: in quo ſederunt Epiſcopi 300. vltra Patriarchas.

22 Decimumſextum eſt Florentinum ſub Eugenio IV. Pontif. Max. & Alberto Imperatore regnante, contra errores Græcorum, cui reſederunt Patres 141. qui ſubſcripſerunt, vltra quamplurimos alios, qui ante ſubſcriptionem diſceſſerunt, provt in fine Concilij legitur, anno 1439.

Decimum

A Decimumſeptimum Lateranenſe V. tempore Iulij II. & Leonis IX. Pontif. Max. & Maximiliani Imperatoris, contra ſchiſmata, ac pro variis negotiis: cui adfuerunt Patres 114. Cœpit anno 1512. & finem habuit anno 1517. 23

Decimumoctauum, & vltimum generale eſt Tridentinum, tempore Pauli III. Iulij III. & Pij IV. Pontificum Max. & Caroli V. ac Ferdinandi Imperatorum, contra hæreſes Lutheranorum. Inchoatum fuit anno ſalutis noſtræ 1545. & finitum anno 1563. cui interuenerunt Cardinales ſex, Legati quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi triginta duo, Epiſcopi ducenti viginti octo, Abbates B quinque, Generales Ordinum Miniſtri ſeptem, Epiſcoporum Procuratores quamplurimi. Omnia porrò prædicta Concilia approbata, & à Catholicis recepta ſunt, & ſic vim legis habent: nam de primis octo patet ex eo, quòd ſunt inſerta in corpore iuris, vt habetur ex cap. *ſancta octo. 16. diſt.* De nouem verò ſequentibus conſtat ex eo, quòd in eis præfuerit Sum. Pontifex. Vltimum autem omnibus manifeſtum eſt ex confirmatione Pij IV. Sum. Pontif. 24

Nationalia dicuntur, in quibus conueniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi vnius Regni, ſiue nationis, quibus præeſt aliquis Patriarcha, vel Primas, qualia ſunt multa Ro- C mana, Toletana, & Africana, de quibus illud notandum eſt, ea, licèt ſint re vera diſtincta à generalibus; tamen vtrorunque nominibus appellari, imò ſæpè Concilia vniuerſalia, vt habetur ex Conciliis Romanis ſub Symmacho Papa, vbi ſemper legitur: *Symmachus Concilio generali præſidens.* cui interuenerunt tantùm Epiſcopi Italiæ, prout ex ipſamet ſubſcriptione Epiſcoporum, qui eiſdem Conciliis interfuerunt, conſtat. Sic in Concilio Toletano III. *cap.*18. dicitur: *Præcipit hæc ſancta & vniuerſalis Synodus.* & tamen ſolùm aderant Epiſcopi Hiſpaniæ. Idem patet ex Concilio IV. Carthaginenſi. Dicuntur igitur hæc generalia, ſeu vniuerſalia, quatenus generalia ſunt in eo Regno; non 25

autem abſolutè: dicuntur autem Prouincialia hæc eadem A à Gratiano cap. *porrò: diſt.* 3. quia certis Prouinciis continentur: non autem omnes Chriſti fideles in toto Orbe terrarum tangunt, & obligant, ſicut verè generalia.

26 Prouincialia vocantur, in quibus conueniunt tantùm Epiſcopi vnius Prouinciæ, quibus præeſt Archiepiſcopus, ſiue Metropolitanus: & huius generis ſunt plurima in Tomis Conciliorum. De his loquitur ſeptima Synodus *action.* 3. cùm ait, ſe amplecti etiam deciſiones localium Conciliorum, *vltra probationes ſuperiùs allatas.*

27 Synodalia, ſiue Diœceſana ſunt, in quibus conueniunt tantùm Canonici, & Presbyteri vnius Epiſcopatus, & iis B Epiſcopus præeſt: cuius generis pauciſſima exiſtunt, nec immeritò: nam vix dici poſſunt Concilia, cùm in eis ordinariè nullus ſit, qui iuriſdictionem habeat, præter vnum Epiſcopum, qui præeſt, *iuribus ſuperiùs allatis.*

28 Generalia Concilia tangunt omnes Catholicos in toto terrarum Orbe exiſtentes: Nationalia tantùm ſubiectos Patriarchæ, ſiue Primati, aut Legato illius Regni, ſiue nationis: Prouincialia ſolùm ſubiectos Archiepiſcopo vnius Prouinciæ: Synodalia ſolummodo Diœceſanos Epiſcopo ſubditos, & non alios; quia *dicenti ius extra territorium impunè non paretur.* ex cap. *vt animarum. de Conſt. lib.* C 6. tum etiam, quia ad obligandum requiritur iuriſdictio, quæ à Sum. Pontifice Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſtricta eſt in eorum territorio, d. cap. *vt animarum. de conſt. eod. lib.* 6.

PARA

# PARAGRAPHVS II.

## Proponitur conſuetudinis obſeruatio, eiúſque diuiſio, & etiam efficacia circa feſtorum inſtitutionem.

### SVMMARIVM.

1. *Conſuetudo qualis dicatur, & eius diuiſio.*
2. *Quilibet populus ſuas habet conſuetudines feſta ſanctificandi, à populo introductas.*
3. *Inſtitutio feſti eſt de iure diuino.*
4. *Conſuetudo circa dies feſtos idem poteſt, ac circa alia humana præcepta.*
5. *Conſuetudo circa diem Dominicum, feſtáque mobilia nihil poteſt.*
6. *Nullus aptior in hebdomada dies ſanctificandus eſt, quàm Dominicus; & quibus de cauſis.*
7. *Summus Pontifex in tota Romana Eccleſia nouos inſtituere, & veteres dies feſtiuos abrogare poteſt.*
8. *Feſtum ab Epiſcopo inſtitutum, à populo non acceptatum, non obligat ſub mortali.*
9. *Epiſcopi in ſua diœceſi dies feſtos inſtituere poſſunt.*
10. *Poteſtas ſæcularis ſine Epiſcopi conſenſu feſta inſtituere non poteſt.*
11. *Vota prædeceſſorum alicuius populi ab eodem ſemper ſunt ſeruanda.*

A PRÆTEREA eſt altera lex non ſcripta, quæ moribus populi inſtituitur, & dicitur conſuetudo, quæ etiam in vniuerſalem, & particularem diuiditur. Vniuerſalis eſt, quæ omnes in tota Romana Eccleſia 1

exiſtentes tangit: particularis verò ſolos Prouinciæ alicuius particulares, ſiue loci particularis, in quo introducta eſt, reſpicit. l. *de quibus.* 32. l. *diuturna.* 33. l. *cum conſuetudine.* 34. & l. 35. 36. 37. 38. 39. & 40. *ff. de leg. Senatus conſult. & long. conſuet.* l. *Præſes Prouinciæ.* 1. l. *conſuetudinis.* 2. *C. quæ ſit long. conſ.* l. *ſi quas actiones.* 1. l. *ſi aquam.* 2. *C. de ſeruit. & aqua.* Hanc diuiſionem, eiúſque ſubdiuiſiones, & partes fuſiùs etiam explicant Hoſtienſ. *in tit. de conſt.* §. *quis poſſit.* & in Rubrica, *extrà de conſuetud.* & Doctores *ibid.* Sum. Confeſſor. *lib.* 2. *tit.* 5. *rubr. de leg. quæſt.* 203. Thom. Cananus Ferrarienſis *Repertor. in proœm. decretal.* Sebaſtianus Medices *in Sum. part.* 1. *tit.* 17. *cap. vnico*, & §. 10. *cum ſequent.* B Angelus *in verb. Lex*, §. *ſecundo.* Sylueſt. *eod. quæſt.* 2. Toletus *in Sum. tract. de peccat. mort. cap.* 17. *per tot.* & alij communiter apud Sayr. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 8. *de leg. hum.*

2 Vnum tamen interim non omittam ex eo, quòd paſſim videmus, vnunquenque populum ſuas habere conſuetudines, ſanctificandi, ſcilicet, feſta, non ab Eccleſia vniuerſali, ſed quidem ab eodemmet populo indicta; nulla tamen prorſus conſuetudine, licèt longæua ſit, iuri diuino, aut naturali derogari poſſe, tanquàm certum, atque indubitatum habemus ex eo, quòd nullo modo id fieri poſſit ſine ſalutis detrimento, vt expreſsè habetur ex cap. *cum* C *tanto.* & Gloſ. *ibid. in verb. naturali iuri. de conſuetud.* Panor. in d. cap. *cum tanto. num.* 1. *&* 2. *tit. eod.* Idémque docent S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 7. *art.* 3. *ad primum.* S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 16. §. 6. Sot. *lib.* 1. *de iuſt. & iur. quæſt.* 7. *art.* 2. §. *ad primum.* Sylueſt. *verb. conſuetudo, quæſt.* 14. Et ratio eſt: quia lex diuina, & lex naturalis à voluntate diuina inſtitutæ ſunt, cui nulla humana voluntas, neque conſuetudo vlla obſiſtere valet: imò verò, quantò conſuetudo contra legem diuinam, & naturalem inueteratior fuerit, tantò grauioris eſt cauſa peccati: tantùm abeſt, vt conſuetudo aliquid vigoris detrahat illis legibus.

Hinc

A Hinc eſt, quòd inſtitutio feſti eſt de iure diuino; & con- 3
ſequenter præceptum naturale, quatenus huiuſmodi præceptum de exteriori cultu ſub ſigno communis beneficij datum fuit, hoc eſt, ad repræſentandum opus creationis huiuſce machinæ mundialis, à quo die ſeptima requieuiſſe dicitur. Tamen Sum. Pontifex, Epiſcopi, & alij Eccleſiæ Prælati, populique, cum conſenſu tamen tacito, ſeu expreſſo Prælati Eccleſiæ, dies feſtos inſtituunt, & abrogant. Quare, & iure merito, quidnam poſſit conſuetudo, aut quidnam ſuperiores Prælati circa inſtitutionem feſtorum, atque eorum obſeruantiam valeant, videndum eſſe cen-
B ſeo; an, ſcilicet, indici poſſit conſuetudo aliqua particularis, ſeu vniuerſalis, ad colenda feſta; & an Eccleſiæ Prælati ſimiliter populos ad eadem ſanctificanda obligare poſſint, ac valeant: & quanuis in hac re multa dici poſſent; attamen, vt multa paucis exoluam, ſingulàque clariùs, & diſtinctiùs exponam, omnia ad quinque breuiora reducam capita.

Primum eſt: Conſuetudo rationabiliter introducta, & 4
legitimè præſcripta, & tolerata ab habente facultatem legem condendi circa dies feſtos, idem poteſt, ac circa alia humana præcepta; nimirum, dies feſtos abrogare, & no-
C uos inſtituere. Sic Sylueſt. *verb. Dominica, quæſt.* 1. *verſ. ſecundum.* & *verſ. tertium*, & *ſequent.* Nauar. *in Manual. cap.* 13. *num.* 5. *verſ. nono.* Angel. *verb. feriæ, n.* 4. Tabiena *num.* 11. *verſ. decimo* Ludou. Lopez *part.* 1. *inſtr. conſcient. cap.* 55. & alij. Et ratio eſt: quia, licèt ſanctificatio alicuius temporis, etiam in lege Chriſtiana, de iure diuino ſit, & ſic præceptum naturale, & morale; determinatio tamen diei eſt de iure humano, ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad quartum.* D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 9. *art.* 7. *in princip.* Sot. *lib.* 2. *de iuſt. & iur. quæſt.* 4. *art.* 4. §. *ad ſecundum.* Nauar. *in Manuali, loc. cit. n.* 1. Conſuetudo autem plurimùm poteſt, & valet in omne ius humanum. Quòd verò conſuetudo dies feſtos

abrogare poſſit, etiamſi anteà fuerint in præcepto, manifeſtum eſt, & dilucidè patet: de facto enim abrogauit diem feſtum Sanctorum Innocentium in aliquibus locis, vbi ampliùs non obſeruatur; item Sancti Syluestri, tres dies feſtos Rogationum, ſex dies hebdomadæ ſanctæ, & quatuor dies hebdomadæ Paſchatis, quia olim ſeruabantur ſex dies, cap. *pronunciandum. de conſecr. diſt.* 3. cap. *conqueſtus. de fer.* Angel. *in verb. feriæ*, §. *feſtum. num.* 3. Syluest. *verb. Dominica*, §. *ſeptimum circa*, &c. Quòd autem nouos pariter inſtituere poſſit, patet experientia quotidiana vbique locorum. A

5 Non ſilebo tamen, quòd ſupra diem Dominicum, & ſupra dies excellentium feſtorum, v. g. Natiuitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium, probabiliſſimum eſt, nihil vſpiam conſuetudinem poſſe: quia probabile eſt, de iure diuino eſſe, vt vnus dies in qualibet hebdomada diuino adſcribatur cultui. Quare in Decalogo præcipitur, vt ſanctificetur Sabbathum: vnde, licèt Sabbathi ſanctificatio cæremonialis ſit; quoad tamen ſanctificationem vnius diei in hebdomada, de iure diuino, & naturali eſt. Ita S. Thom. *vbi ſup. art.* 4. *ad primum.* Catechiſ. Rom. *tract. de tertio Decalog. præcep. n.* 6. Nider. *in* 3. *Dec. præc.* §. *pro quorum declaratione: litt. B.* B

6 Cùm autem vnus dies in hebdomada ſanctificandus ſit; nullus aptior, & conuenientior eſſe poterit ad ſanctificandum, quàm dies Dominicus: & præcipuè propter multa opera, inſigniáque myſteria in eodem die à Deo Optimo Maximo operata, quæ ab Authoribus vigintiquinque enumerantur ſingularia, quorum primum eſt, quòd eodem die, iuxta multorum ſententiam, creati ſunt Angeli: & boni ſunt glorificati; mali verò in Infernum deiecti. Secundum, quia fuit prima dierum omnium: vnde quotidie canit Eccleſia: C

*Primo die, quo Trinitas*
*Beata mundum condidit.*

Tertium,

A Tertium, quia eo die Deus creauit cælum, & terram. Quartum, quia nulla nox eum præceſſit. Quintum, quia nulla nox eum ſequetur. Sextum, quia eadem die mare rubrum receſſit, vt liberè filij Iſraël tranſire poſſent. Septimum, quia illo die, ſecundùm Oroſium, & alios, lex data fuit filiis Iſraël in monte Oreb. Octauum, quia eadem die primum manna filiis Iſraël è cælo deſcendit, vt teſtatur Origenes *in Exod.* Nonum, quia eo die Chriſtus incarnatus eſt. Decimum, quia ipſa die tres Magi Chriſtum adorauêre. Vndecimum, quia illo die Chriſtus in Iordane à Ioanne Baptiſta baptizatus fuit. Matth. *cap.* 3. *verſ.* 16. Luc.
B *cap.* 3. *verſ.* 21. Duodecimum, quia tali die Chriſtus in Cana Galilææ aquas in vinum mutauit. Ioan. *cap.* 2. *verſ.* 9. Tertiumdecimum, quia eadem die Chriſtus quinque millia hominum in deſerto quinque panibus, & duobus piſcibus ſaturauit. Marci *cap.* 6. *verſ.* 34. *& ſeqq.* Decimumquartum, quia ea die, deſtructis Inferni clauſtris, Chriſtus Sanctorum animas è Limbo eduxit à mortuis reſurgens. Decimumquintum, quia ipſa die Mariæ Magdalenæ, & Apoſtolis poſt reſurrectionem ſæpè manifeſtus apparuit. Matth. *cap.* 28. *verſ.* 9. *& ſequent.* & Ioan. 20. Decimumſextum, quia eadem die datus eſt Spiritus Sanctus. Act.
C *cap.* 2. *verſ.* 3. *&* 4. Decimumſeptimum, quia hac die erit reſurrectio generalis, quando Chriſtus reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Decimumoctauum, quia eo die Sol, & Luna ſplendorem ſuum ſeptempliciter augebunt, iuxta illud Iſaïæ cap. 30. verſ. 26. *Erit lux Lunæ, ſicut lux Solis; & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Decimumnonum, quia ipſa die erit initium noſtræ completæ beatitudinis in anima, & corpore. Vigeſimum, quia in hac die reuelata fuit Apocalypſis Ioanni. *Apocalyp. cap.* 1. *verſ.* 12. *& ſequent.* Hinc de hac die D. Auguſtinus *ſerm.* 7. *de reſurrectione,* ait: *Quomodo Maria Virgo Mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet: ita inter cæteras dies hæc omnium dierum*

*mater*

*mater eſt. Hæc eſt illa dies, in qua Synagoga finitur, & Eccleſia naſcitur: vniuerſa enim Sabbathi gratia, & antiqua illius populi feſtiuitas Iudæorum, in diei iſtius ſolennitatem mutata eſt.* Hæc ille, & quamplurima alia ſimilia habet Leo Papa Magnus, & refertur in cap. *quod die Dominico. diſt.* 75. in his verbis: *Dominica dies tantis diuinarum diſpenſationum myſteriis eſt conſecrata, vt quidquid à Domino eſt inſigne conſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum. In hac die mundus ſumpſit exordium. In hac die per reſurrectionem, & mors interitum, & vita accepit principium.* Item, Patres in Synodo ſexta, *cap.* 8. *tom.* 3. *Concilior.* de hac die ſic loquentes aiunt: *In eo die manna in eremo pluit, in eo naſci dignatus eſt, in eo ſtella Magis refulſit. In eo die quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum pauit. In eo Baptiſmum in Iordane ſuſcepit. In eo ipſe pius Redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra à mortuis ſurrexit.* & alia permulta. Quare iure merito ob tot, tantáque inſignia hac die geſta, & operata myſteria, Eccleſia à Spiritu Sancto edocta, imò ipſimet Apoſtoli ex illis ſeptem diebus, eum, qui primus eſt, ad diuinum cultum conſecrare voluerunt, quem & diem Dominicum nuncuparunt, de quo mentionem facit Ioannes *Apocalyp. cap.* 1. *verſ.* 10. illis verbis: *Fui in ſpiritu Dominica die.* De qua re videre eſt apud S. Auguſtinum *in epiſtola* 118. *ad Ianuar. cap.* 13. *& ſerm.* 154. *de tempore.* Ludolph. Carthuſ. *in Vita Chriſti, part.* 2. *cap.* 69. Catechiſ. Rom. *ſuper hoc præcep. num.* 5. *& num.* 7.

7 Secundum: Sum. Pontifex, ſeu Concilium generale, cum interuentu eiuſdem Romani Pontificis, ſeu de eius mandato habitum, nouos dies feſtos in tota Romana Eccleſia Dei inſtituere, & antiquitùs inſtitutos abrogare poteſt. Et ratio eſt: quia Papa, eo ipſo, quòd canonicè ad Pontificatus apicem electus eſt, non ab alio, quàm à Deo, immediatè iuriſdictionem ſimul, & poteſtatem dominatiuam in vniuerſam Dei Eccleſiam accipit, iuxta illud Ioannis cap. 20. verſ. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* &

cap.

A cap. 21. verſ. 17. *Paſce oues meas.* Et ſic Sum. Pontifex, &
Concilium generale ſunt ſupra totam Eccleſiam, & con-
ſequenter noua feſta in tota Eccleſia militanti inſtituere, &
vetera abrogare poſſunt.

Tertium: Epiſcopi in ſua iuriſdictione dies feſtos pariter 8
inſtituere poſſunt, non tamen abrogare: quia hoc pertinet
ad Sum. Pontif. tamen in hoc cauti incedere debent, nec
ſine vrgentiſſima cauſa, idque ex Cleri, populique con-
ſenſu, ſecundùm Panor. in cap. *conqueſtus. n. 4. & 5. extrà de
feriis.* citantem Innocent. & alios in cap. *veſtra. de loc. &
cond.* & *in cap. fin. de off. deleg.* Fredericus *conſil.* 17. Archi-
B diac. *in cap. 1. de conſecr. 3. diſt.* Et ratio eſt: quia, cùm Epi-
ſcopi ſemper non procedant cum tanta deliberatione; &
feſtorum multitudo præiudicio eſſe ſoleat pauperibus; non
debent dies feſtos ſine Cleri, populique conſenſu inſtitue-
re. Quapropter Epiſcopi, quantùm fieri poteſt, in inſti-
tuendis diebus feſtiuis non faciles, neque prompti eſſe de-
bent; non alia de cauſa, quàm vt dies feſtiui, eo quo de-
bent modo, celebrentur, atque obſeruentur.

Hinc fit, quòd feſtum ab Epiſcopo inſtitutum non obli- 9
get ſub peccato, niſi à populo acceptetur, ex Panor. in d.
cap. *conqueſtus. cit. eod. loc.* & cap. *pronunciandum. de conſ.* 3.
C *diſt.* Emmanuele Sà *in Aphor. verbo, feſtum.* Tabiena *in verb.
feriæ, num.* 10. *verſ. nono.* Syluest. *verb. Dominica, quæſt.* 1. *n.*
1. §. *ſecundò limita.* Dies autem feſtos, quos in ſua Diœceſi
ſeruandos Epiſcopus præcipit, Religioſi omnes, etiam
exempti, ſeruare tenentur, ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Re-
gul. cap.* 12.

Quartum: Princeps ſæcularis, Reſpublica, ſiue Com- 10
munitas, ſine conſenſu Epiſcopi, tacito, vel expreſſo, dies
feſtos inſtituere non poſſunt, ex Syluest. *verb. Dominica, in
princip.* & Emmanuele Sà *verb. feſtum.* Et ratio eſt: quia diei
feſti cultus, vnus ex actibus religionis eſt, quo colitur
Deus: de cultu autem Dei curam ſolùm habent Eccleſiæ

Prælati ; non autem ad ſæculares ſpectat. Hinc eſt, quòd ſi A
Rex aliquis, vel Princeps diem feſtum obſeruare præcipiat,
v. g. Natalem filij, ſiue diem alicuius inſignis victoriæ, vel
alium diem quencunque ; ſiue id faciat propter cauſam
temporalem ; ſiue ſpiritualem ; dies ille, verus dies feſtus
non eſt : & licèt populus eo die ab operibus abſtineat ſerui-
libus ; Miſſam tamen audire minimè obligatur, neque mi-
nùs non abſtinendo ab operibus ſeruilibus peccat, ex eod.
Syluestro, & Emmanuele Sà *vbi ſuprà*, & omnibus commu-
niter, niſi huiuſmodi feſtum cum Romani Pontificis, aut
Epiſcopi loci conſenſu indiceret ; aut niſi, poſtquàm indi-
ctum fuerit, quanuis ſine eccleſiaſtici Superioris conſenſu, B
etiam expreſſo, ex temporis decurſu à lege requiſiti, in le-
gis obſeruantiam tranſiret : quemadmodum indictum fuit
feſtum Sanctiſſimæ Syndonis, ac Sancti Mauritij in tota
Sereniſſ. Sabaudiæ Ducis regione ; quorum ſolennitas, ra-
tione inueteratæ conſuetudinis legitimè præſcripta, in le-
gis obſeruantiam tranſiit. Hinc eſt, quòd populi omnes
prædictæ ditionis non tantùm illis diebus duobus ab operi-
bus ſeruilibus abſtinere, verùm etiam Miſſam audire te-
neantur : tunc enim, accedente conſuetudine legitimè in-
troducta, atque præſcripta, verè dies feſtus eſt : & ideò ſub
peccati mortalis pœna colendus : quia Eccleſia in eo caſu C
contra populum præſcribit.

11 Quintum: Vota prædeceſſorum alicuius populi, ab Eccle-
ſia approbata, licèt ſint perſonalia, & iuramenta, vt conſtat,
& conſequenter ad alios regulariter non tranſeant, arg. cap.
vnic. 30. *quæſt.* 2. tamen qui ſucceſſerunt eidem populo,
tenentur ea obſeruare, licèt non fuerint præſentes, & ad
voti emiſſionem nullum præbuerint conſenſum ; vt docent
communiter DD. & ſingulariter Nauar. *in Manuali, cap.* 12.
*num.* 79. *verſ.* 13. Emmanuel Sà *in Aphor. verb. feſtum.*
Rodriguez *part.* 2. *Sum. cap.* 99. *concluſ.* 13. Coſmus Philiarc.
*de off. Sacer. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 22. Et ratio eſt : quia, quate-

nus

A nus ſucceſſores omnes conſtituunt, & repræſentant identicè eundemmet populum, eandémque Communitatem, ideò tenentur, vel ratione voti, maximè cùm ſit idem populus, vel ſaltem ex vi contractus, & promiſſionis per prędeceſſores factæ, quæ in vniuerſalem ſucceſſorem pertranſiit, vota prædeceſſorum obſeruare. Confirmatur ratione: quia, vbi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe eadem iuris diſpoſitio. l. *illud. ff. ad leg. Aquil.* l. *A Titio. ff. de verb. oblig.* ſed, quemadmodum qui poſt legem à laïca Poteſtate conditam nati, (quæ Poteſtas, non niſi ex ſolo populi conſenſu eam condere poteſt,) omnes ad eius obſeruantiam tenentur, B quouſque lex per contrariam conſuetudinem, aut per aliam legem abrogata ſit: ita igitur nati poſt vota à populo emiſſa, ab illorum obſeruatione excuſari nullo iure poſſunt. Et ratio eſt: tum, quia, licèt illi proprio, & expreſſo conſenſu ligati non ſint, ligantur tamen per conſenſum præſumptum, & quem neceſſariò præſtare tenentur, aliàs à quolibet homine nato nouum conſenſum petere, aut nouis hominibus naſcentibus noua ſemper emittere vota oporteret: tum etiam, qùia per natiuitatem cuiuſlibet particularis hominis non variatur populus, vt ex huiuſmodi natiuitate nouus cenſeatur populus; ſed idem profectò C ſemper dicitur, atque vno, eodémque vocatur nomine. Hoc probatur eruditiſſimo teſtimonio Alphonſi à Caſtro *lib.* 1. *de poteſtate leg. pœnal. cap.* 1. *poſt medium*, §. *ſed hic fortè. litt.* C. Quare vnuſquiſque populus ſibi particularem conſuetudinem ad obſeruanda feſta in honorem, vel gratiarum actionem alicuius Sancti, (de conſenſu tamen Eccleſiæ Prælati tacito, vel expreſſo,) introducere poteſt; quæ rationabiliter introducta, & legitimè præſcripta obligat ad eius obſeruationem ſub pœna peccati mortalis.

## PARAGRAPHVS III.

### Quibuſnam de cauſis forenſes legibus, & conſuetudinibus municipalibus ſubiiciantur; & quibus eiſdem aliquando aſtringantur, proponitur.

### SVMMARIVM.

1. *Leges vniuerſales omnes Chriſti fideles in tota Romana Eccleſia obligant.*
2. *Leges, & conſuetudines locales quando forenſes obligent.*
3. *Leges, & conſuetudines municipales non obligant forenſes.*
4. *Conſuetudo particularis non tangit forenſes.*
5. *Forenſis ſortitur forum loci, ratione delicti; quoad forum tamen contentioſum tantùm.*
6. *Forenſis quoad forum animæ non ſortitur forum loci.*
7. *Pœnitens vbique in foro pœnitentiali non ſortitur forum loci.*
8. *Forum ſpirituale, ſiue eccleſiaſticum, non æquè ſortitur, vt ſæculare.*
9. *Peregrini per ſolam moram, aut quaſi, domicilij, non ſubiiciuntur legibus localibus.*
10. *Ratione tantùm originis, & domicilij quis efficitur ſubditus iuribus alicuius loci in vtroque foro.*
11. *Originarius quiſnam dicatur.*
12. *Litteræ apoſtolicæ non dicuntur ſubreptitiæ ex variatione ortus.*
13. *Oriundus quiſnam dicatur.*

14. *Filius*

14. *Filius originem patris, non autem matris ſequitur.*
15. *Expoſitus, ciuis eſt loci, vbi natus, & vbi expoſitus.*
16. *Natus fortuitò in loco, vbi parentes domicilium non habent, ſeu per tranſitum, non dicitur originarius eius loci, in quo natus eſt.*

A HIs itaque præmiſſis fundamentis, quod atti- 1
net ad leges, & conſuetudines primi generis, hoc eſt, vniuerſales, res eſt clara, & abſque controuerſia apud Catholicos. Dicendum igitur eſt, leges, atque conſuetudines primi generis, omnes, & ſingulos Chriſti fideles in toto Orbis ambitu, Summo Pontifici ſubiecto, vbique exiſtentes ligare: ſed, quia dubitatio propoſita non ſpectat ad has leges, aut conſuetudines; ideò non eſt hîc hærendum; ſed veniendum eſt ad leges ſecundi, & tertij generis, nimirum, Prouinciales, ſynodales, municipales, & locales, de quibus
B nunc noſtra quæſtio eſt: & de his eſt cum diſtinctione reſpondendum.

Dico igitur primò: Si leges, aut conſuetudines locales 2
ſint eædem in loco domicilij, ac loci, vbi temporaneam habent habitationem aduenæ, atque vno, eodémque die cum legibus, ſiue conſuetudinibus proprij loci concurrant; dicendum eſt, eos legibus, & conſuetudinibus ligari, eáſque obſeruare teneri; non autem ex vi ſubiectionis, aut poteſtatis eius, qui eas introduxit, ſiue ſanciuit: aduenæ enim alienæ iuriſdictioni non ſubiiciuntur, ſed ſolùm ex vi
C concurrentiæ obligationis patriæ, ac loci, quatenus quodammodo tenentur legibus ſuæ patriæ, licèt ſint abſentes, ſecundùm aliquos: ſin autem illæ leges patriæ iam impletæ fuerint in loco originis, priuſquàm ad locum nouæ habitationis, ſiue tranſitus, acceſſerint aduenæ; ampliùs eas obſeruare minimè tenebuntur: v. g. ſi quis iam adimpleuerit præceptum ieiunij, ſiue feſti, vbi primum habet domici-

lium, & deinde ad alium ſe diuerterit locum, in quo non- A
dum eſt impletum prædictum ieiunium, vt in dies contingit ratione noui Calendarij, quod hucvſque non eſt vbique receptum, non obligatur ampliùs ad illud implendum, vt notant paſſim DD. omnes, & præcipuè Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 22. Bonac. *de leg. diſp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 6. *n.* 58, Salas *de leg. diſp.* 14. *ſect.* 4. *num.* 37. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 52. Imò ex Bonacina, *loco citato*, idem eſt, quando quis audiuit Sacrum, vbi non vigebat præceptum; & deinde eodem mane peruenit ad locum, vbi obſeruatur feſtum, ex quo adeſt obligatio Sacrum audiendi; non tenetur iterum illud audire, cùm iam ſemel præcepto audiendi ſatisfecerit: ſpe- B
cialis enim intentio ſatisfaciendi obligationi, non eſt neceſſaria: exempli gratia, ſi quis voto obſtrictus eſſet Deiparam Lauretanam inuiſendi; illam viſitando, etiam ſine intentione votum adimplendi, obligationi ſatisfaceret, imò voti obligationem adimpleret, etiamſi in ipſomet viſitationis actu, voti omninò oblitus eſſet: quia tunc adhuc humano modo talis præſtat opus præſcriptum: quod quidem limitatur, dummodo huiuſmodi viſitationem explicitè non applicet pro alia obligatione, ratione, ſcilicet, pœnitentiæ à Confeſſario iniunctæ, ſeu rei ex iuramento debitæ, aut pro alia ſatisfactione ab eo debita, & requiſita: vt ſingulariter colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 164. *artic.* 1. *ad* C
*ſecundum.* Valentia *ibidem, diſp.* 6. *punct. vlt.* Vaſquez *part.* 2. *quæſt.* 100. *artic.* 9. *num.* 5. Filliucio *tract.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 7. Bonacina *de Sacramento Euchariſtiæ, diſp.* 4. *quæſt. vlt. punct.* 11, *num.* 22.

3 Sin verò huiuſmodi leges, aut conſuetudines ſint tantùm particulares prouinciæ, vel loci, in quo aduenæ pro tempore reperiuntur, (vt in caſu noſtro,) tunc negandum eſt, alienigenas, & aduenas aſtringi prædictis legibus, præceptis, & conſuetudinibus, quouis modo ſancitis, atque introductis, ſiue per leges municipales poſitiuas, ſiue per

ſtatuta

A ſtatuta particularia, ſiue per votum, ſiue per deuotionem, etiam cum conſenſu, aut de mandato Archiepiſcopi ſuſceptam. Hinc fit, quòd aduenæ non obligantur huiuſmodi præceptis ex vi legis, quatenus non ſubiiciuntur iuriſdictioni eam ferentis: neque minùs ex vi conſuetudinis, licèt rationabiliter introducta ſit, & legitimè præſcripta: quia, quanuis quoad obligandum conſuetudo vim legis habeat, & ad ſui obſeruantiam obliget, *iuribus ſuprà allatis*; nunquam tamen vim illam coactiuam, & directiuam habere poterit, niſi quatenus in iuriſdictione fundatur aliqua: nam, ſi ſit in materia temporali, oportet, vt fundetur conſuetudo in B conſenſu Principis, Reipublicæ, ſeu Communitatis iuriſdictionem habentis ad condendum legem: vel, ſi Communitas talem non habeat poteſtatem, requiritur expreſſus, vel tacitus conſenſus Principis, ſeu Reipublicæ, quæ illam habeat. Simili modo in materia, & legibus eccleſiaſticis neceſſarius eſt prædictus conſenſus Papæ, vel Epiſcopi, provt in materia de legibus habetur: & ſingulariter Greg. de Valentia *tom 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 8.* Sylueſt. *verb. conſuetudo, quæſt. 3.* Sot. *lib. 1. de iuſt. & iur. quæſt. 7. art. 2.* & paſſim DD. omnes in vtroque Iure teſtantur, vt eſt receptum apud omnes, nemine diſſentiente.

C Hoc poſito, quando conſuetudo particularis, & localis tantùm erit, nullo modo tangere poterit extraneos, & peregrinos, qui iuriſdictioni Principis, ſeu Epiſcopi, ex cuius conſenſu tacito, ſiue expreſſo, introducta eſt, minimè ſubiiciuntur. Et ratio eſt: quia, ſicut agentia naturalia (vt loquuntur Philoſophi) non agunt vltra ſphæram ſuæ actiuitatis: ita Principes, & Epiſcopi, ſiue legiſlatores, qui ſunt quaſi agentia naturalia, niſi in ſuos tantùm ſibi ſubditos, qui ſunt quaſi ſphæra ſuæ iuriſdictionis, ſuam iuriſdictionis poteſtatem exercere poterunt, cùm actiuitas iuriſdictionis cuiuſque Principis in ferendis legibus, limitetur ad proprium cuiuſque territorium, & ſolùm ad habentes in 4

eo perpetuum domicilium, ſiue ſit naturale, ſiue per legis A diſpoſitionem, ſiue per habitum, & voluntatem aduenæ acquiſitum, vt teſtantur leges ciuiles, & canones *in tit. de for. compet.* & *de iuriſdict. omn. iud.* & eſt in confeſſo apud omnes DD. in vtroque iure. Cùm enim leges cuiuſque territorij ſint purè locales, id eſt, quæ immediatè locum afficiunt, ac proinde tantùm cadant in perſonas, quæ iuriſdictioni eius loci ſubiectæ ſunt; neceſſariò concludendum eſt, extraneos, & peregrinos, qui tali iuriſdictioni minimè ſubiiciuntur, non ligari ſtatutis, præceptis, & conſuetudinibus loci, ad quem confluunt ſine animo conſtituendi ibi domicilium, & perpetuò ma- B nendi. Et ratio eſt: quia verba ſtatuentis, ſeu ſententiam proferentis reſtringuntur ad efficaciam ſuæ poteſtatis: & quanuis aliquando ex propria verborum ſignificatione apta ſint, etiam extraneos comprehendere; defectu tamen poteſtatis, verba quantuncunque generalia reſtringuntur ſemper, vt non comprehendant, niſi ſubiectos. Igitur lex municipalis ſecundùm legiſlatoris poteſtatem duntaxat commenſuratur, ac perinde non ligat alienigenas, licèt etiam in loco delinquant, ſaltem quoad forum animæ, vt eleganter Abb. in cap. *à nobis. el* 1. & *ibi* communiter Expoſitores, & ſingulariter Iuriſconſulti omnes in l. *cunctos po- C pulos. C. de Summa Trinitate, & fide cathol.* & optimè facit cap. *quæ ad præſentiam.* 8. *diſtinct.* Confirmatur illuſtriſſimo teſtimonio D. Pauli in verbis illis ad Corinth. 1. cap. 5. verſ. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Eſt etiam communis opinio, præcipuè D. Thomæ 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *verſ. vnde illi.* & Expoſitorum, atque Summiſtarum omnium *in verbo, lex.* Quapropter concluſio hæc etiam inductione confirmari poteſt: quia hac de cauſa leges Gallorum non obligant Sabaudos, neque minùs è conuerſo: leges igitur municipales vnius ciuitatis, ſeu oppidi, ſubditos alterius ciuitatis, ſeu Communitatis ligare omninò nequeunt,

A nequeunt, vt apertiſſimè ex mente D. Thomæ *loc. proximè* citato conſtat. Neceſſariò igitur concludendum eſt, legem, ſiue conſuetudinem localem extraneos nullo iure tangere poſſe. Conuincitur denique ex hiſce etiam verbis eiuſdem D. Pauli ad Rom. cap. 3. verſ. 19. *Scimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur.* hoc eſt, ſubiectis legiſlatoris poteſtati duntaxat loquitur, atque eoſdem obligat: atqui alienigenæ, dum aliquo in loco moram trahunt, ſine animo ibi domicilium conſtituendi, aut perpetuò reſidendi, non dicuntur eſſe in lege illius loci, quatenus poteſtati legiſlatoris eiuſdem loci non ſub-
B duntur: proptereà lex illa eiſdem non loquitur, & per conſequens eos non ligat; ac proinde legibus, atque conſuetudinibus nullo iure obligari poſſunt. Hanc ſententiam ſolidè defendunt, & egregiè ſuſtinent ferè communiter Doctores, tum Theologi, tum Canoniſtæ, tum etiam Iuris ciuilis Profeſſores: & licèt aliqui contrarium ſentiant; noſtra tamen ſententia verior, & firmior eſt, & in praxi pluſquàm tuta. E contrario autem plerique contrariæ ſententiæ Authores pro ratione, & fundamento ſuæ opinionis nihil aliud ferè habent, niſi ſolam conſecutionem ſcandali, quod quidem facilè euitari poteſt.

C Alij vrgent, quòd homo ratione delicti ſubiiciatur iudi- 5
cio alieni territorij: quod ſanè leue eſt: nam tunc homo ſortitur forum loci, quoad forum tantùm contentioſum, ne delicta maneant impunita: quia poteſt reus illic conueniri, iudicari, & puniri pro crimine ibi commiſſo, vt habetur ex cap. *poſtulaſti*, & cap. fin. *de for. comp.* cap. 1. *de rap.* & l. *quæſtiones.* 1. & ex Authen. *qua in prouincia. C. vbi de crim. agi opor.* & Rebuff. *in ordin. Reg. tract. de domicil. elect.* vbi aſſerit, quòd, quodam Hieroſolymitano appellante, tanquàm ab abuſu, ad Senatum de Epiſcopo Lingonenſi, volente cognoſcere contra eum ratione delicti in eodem Epiſcopatu Lingonenſi commiſſi circa ſanctiſſimum Euchari-

D ſtiæ

ſtiæ, Sacramentum, declaratum fuit à Senatu, vt Epiſco- A
pus, & eius Officialis cognoſceret contra eundem Hieroſolymitanum, licèt eſſet exemptus.

6 Quoad forum autem animæ, quanuis peccatum ſit notorium notorietate facti, exteri non ſortiuntur forum loci: ait enim Couar. *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. nullum in foro animæ ſortiri forum loci ratione delicti, nec illi ſubditum ea ratione fieri, cuius alioqui iure non eſſet: cui ſententiæ argutè ſubſcribunt Panormitanus in cap. *cùm contingat. num.* 29. in cap. *ſi quis. num.* 50. *de for. compet.* & in cap. 1. *num.* 4. *de rap.* Idem Abb. in cap. *quod autem. n.* 5. *de pœnit. & remiſſ.* cap. *placuit.* & ibi Gloſ. 16. *quæſt.* 1. & Gloſ. in cap. *nuper. de* B
*ſent. excom.* Et in Clem. 1. *de for. comp.* Marian. Socin. in dict. cap. *poſtulaſti. num.* 4. *tit. eodem.* Calderin. in eodem cap. 1. *de rap.* Rochus Curt. in cap. fin. *de conſuetud. fol. mihi* 72. *col.* 2. qui fatetur, hanc eſſe communem ſententiam. Item Anchar. in rep. d. cap. *poſtulaſti. num.* 15. *oppoſit.* 3. *de for. compet.* Idem volunt Reginaldus *lib.* 1. *de dub. circa iuriſd. in foro interiori, cap.* 8. *num.* 92. & *cap.* 7. *de iuriſdict. delegat. num.* 78. Auzpilcueta *in conſil. lib.* 4. *de clandeſtin. diſpenſat. conſ.* 1. *num.* 3. vbi inquit, confeſſionem ſacramentalem Parocho rurali factam ſine licentia proprij Parochi, Præcepto Eccleſiæ in Paſchate non ſatisfeciſſe, licèt ruri diu commoratus C
fuerit ciuis abſque eo, quòd non contraxerit ibi domicilium, cap. *omnis vtriuſque ſexus. de pœnit. & remiſſ.* cap. fin. *de pœnit.* 6. *diſt.* Concil. Trident. *can.* 9. *ſeſſ.* 14. tum, quia ratione nudæ habitationis nemo ſortitur forum animæ, ſi alibi habeat domicilium: tum etiam, quia nullum ius datur, quo probetur ſortiri.

7 Confirmatur: quia, ſi forenſis in foro pœnitentiali ſortiretur forum loci, ſequeretur, peccata commiſſa, v. g. Taurini, clauibus Eccleſiæ ſubmitti non poſſe Camberij, ſiue Lugduni; ſiquidem oporteret, aut confeſſionem diuidere, confitendo Taurini delicta Taurini commiſſa; &

Camberij,

A Camberij, ibidem commiſſa; & ſic de peccatis non reſeruatis, tot Confeſſariis, quot eſſent Parochiæ, in quibus peccata perpetrata eſſent, confiteri oporteret: quod quidem, ſecundùm formam Clement. in cap. *dudum. de ſepult.* atque iuxta generalem conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres, l. *ſi de interpretatione.* l. *diuturna. ff. de leg.* & cap. *dilectus. de conſuet.* eſſet diſſonum ſuaui Reipub. Eccleſiæ gubernationi, eiúſque conſuetudini: quia quotidie videmus, pœnitentem peccata, quæ in diuerſis huiuſce Machinæ mundialis partibus commiſit, vni tantùm Sacerdoti confiteri, eúmque pro abſolutione ad Sacerdotes locorum, in
B quibus deliquit, nunquam remitti, niſi fortè ratione excommunicationis Papæ, ſeu Epiſcopo reſeruatæ: aut cauſa ſatisfactionis.

Accedit etiam, quòd ſpirituale, ſiue eccleſiaſticum forum non æquè facilè ſortiatur, vt ſæculare, vt probatur ex cap. *ſi diligenti.* & cap. *ſignificaſti. de for. comp.* Similiter in ſpiritualibus forum pœnitentiale non æquè facilè conſequitur, vt iudiciale. Gloſ. in cap. *ne pro dilatione. in verb. permittimus, extrà, de pœnit. & remiſſ.* Quare, cùm iura allegata ad probandum, quòd quis conſequitur forum ratione delicti, loquantur in iudicialibus; ideò ad pœnitentialia ex- 8
C tendi non debent, vt patet intelligenti, niſi aliquo iure expreſſo probetur: quod non conſtat.

Quidam verò premunt, quòd peregrini teneantur legibus localibus, & particularibus, ratione tantùm quaſi domicilij, hoc eſt, per ſolam moram, ſeu per nudam habitationem, abſque animo conſtituendi eò loci domicilium: quod certè nullius, ſeu parui eſt momenti: nam ad ſubiiciendum aliquem iuribus, neceſſariò, & ſimpliciter iſta duo requiruntur, vt infrà fuſiùs dicemus, nimirum, ſubiectio, & poteſtas, quæ quidem haberi non poſſunt, niſi ratione originis, & domicilij: ſola autem mora non eſt ſufficiens ad conſtituendum domicilium, & conſequenter ne- 9

que ad ſubiiciendum quempiam iuribus localibus, & particularibus: ſi autem iuriſdictio cuiuſlibet Principis, ſiue Epiſcopi, ad extraneos extendi poſſet, non eſſet reſtricta, & limitata in ſubiectos tantùm ſui territorij, vt probauimus *ſuprà*, *obiectione præcedenti*: imò hæc, tanquàm apud omnes clara, & per ſe nota, nulla prorſus indigent probatione, vt DD. omnes vtriuſque Iuris ſolidè, atque ſubtiliter affirmant. Confirmatúrque etiam ratione: quia obligatio legis, quatenus in ſe continet onus, & iuriſdictionem contentioſam, quæ eſt odioſa, ideò reſtringenda, iuxta regulam illam Iuris 15. *Odia reſtringi; fauores autem conuenit ampliari.* Igitur extendi non poteſt ad non ſubiectos: tum, quia nimis durum, oneroſum, atque ſcrupuloſum eſſet, ſi tot ſtatutis, atque conſuetudinibus quiſpiam obligaretur, quot ſunt loca, ad quæ ſe diuertit: & redditur ratio, ex l. *hæres abſens.* 19. §. *proinde. ff. de iud.* in qua legitur: *Duriſſimum eſt, quotquot locis quis nauigans, vel iter faciens delatus eſt, tot locis ſe defendi.* tum etiam, quia iniquum eſſet, ſi cogeretur quis ſe defendere in pluribus locis, arg. cap. fin. *de reſcrip.* & l. *nulli C. de iud.* Hoſtien. in cap. *quod Clericis. de iud.* Verùm, quia cardo dubitationis propoſitæ vertitur in hoc puncto; operæpretium eſt, non pertranſire illud molli brachio; ſed diligenter, ac nauiter in illius diſcuſſionem incumbere.

10 Notandum eſt igitur, duobus tantùm modis aliquem effici ſubditum legibus, & conſuetudinibus localibus, tam in ſpiritualibus, quàm etiam in temporalibus; ratione, ſcilicet, originis, & domicilij: ratione domicilij, de quo infrà fuſiùs, & diligenter agemus. Propriè igitur, & verè ſubditus ad ſubiiciendum iuribus, & conſuetudinibus alicuius loci dicitur ille, qui in aliquo loco firmum habet domicilium, ſeu ibi eſt cum animo perpetuò habitandi. Felin. in cap. *nuper. num. 2.* & *ibi* Abbas *de ſentent. excom.* & in cap. vlt. *num. 23. litt. B. de for. compet.* Iterum Abbas in cap. *propo-*

*ſuiſti.*

A *ſuiſti. in primo notabili, de for. compet.* & in cap. 1. *tit. eodem.* Gloſ. mag. in cap. *ſtatutum.* §. *cùm verò. in verb. vnam diætam. de reſcrip. lib.* 6. Gloſ. celebris in Clement. vnic. *in verb. ſubditos, de foro compet.* quam ſequuntur DD. omnes, & ſingulariter Marian. Socin. ſenior in d. cap. 1. *de for. compet.* & optimè probat Franc. in cap. *cùm nullus. col.* 2. *de tempor. ordin. lib.* 6. Barbat. in cap. *Nonnulli. in princip. col. vlt. de reſcript.* quos citat, & ſingulari doctrina amplectitur Couar. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Bald. in repet. l. *cunctos populos. in* 4. *col. C. de Sum. Trinit. & fide cath.* & in l. 2. §. *ſi apparitor. C. de Epiſcop. & Cler.* Ratione autem originis, Ius ciuile indicat lo-
B cum originis eum eſſe, in quo pater, & filius ad lucem veniunt, ex l. *ciues quidem. C. de incolis.* l. *ſi vt proponis. C. de municip. & orig.* l. *aſſumptio.* §. 1. *ff. ad municip.* Alciat. in l. *qui in contingentibus.* 147. *num.* 4. *ff. de verb. ſign.* Petr. Gregor. *in tract. de vſur. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 15. Campanil. *ibidem, cap.* 8. *num.* 8. Boër. *deciſ.* 272. Ioſeph. Lud. Peruſ. *deciſ.* 3. *num.* 15. Aloyſ. Riccius *de reſolution. reſolut.* 257. *num.* 2. apud Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 4. *num.* 5. & ipſi, videlicet, pater, & filius dicuntur originarij.

Originarius autem dicitur à ſua origine, ſeu à natiuitate 11
propria, vt probatur ex l. 1. *ff. ad municip.* & l. *cùm neque.* 4.
C *C. de incolis.* Boër. Ioſeph. Peruſin. Riccius *locis præcitatis.* Imò ad hoc vt quis dicatur originarius, non ſolùm requiritur, vt natus ſit in loco; ſed etiam quòd parentes eius eò loci domicilium contraxerint perpetuum. Ita Interpretes in cap. *Rodulphus. de reſcript.* Rota Romana *deciſ.* 327. *num.* 3. *part.* 1. *diuerſ.* Quare ſubreptitias non eſſe cenſeo litteras Apoſtolicas diſpenſationis, ſeu beneficij, in quibus diceret quis, ſe oriundum ex ciuitate Taurini, cùm reuerà oriundus eſſet ex ciuitate Bugellæ: dummodo tamen eius pater in dicta ciuitate Taurini natus ſit. Et hoc rectè probant Marcus Antonius *variar. reſolut. lib.* 1. *reſolut. vlt. caſu* 33. Et quanuis Nicolaüs Garzias *de beneficiis, part.* 7. *cap.* 9. *num.* 25.

aſſerat, verbum, *oriundus*, in ſtylo accipi pro *orto:* tamen A de huiuſmodi ſtylo adhuc non conſtat, neque de eo teſtatur, vt inquit Mandoſ. *ad reg. Cancellariæ*, *reg.* 16. *quæſt.* 40. *num.* 3.

12 Hinc etiam fit, quòd eodem iure ſubreptitiæ minimè cenſentur Apoſtolicæ litteræ, ſi in eiſdem quiſpiam dicat, ſe eſſe de tali loco, cùm reuerà ex illo ortum non duxerit, ſed tantùm eius parens. Et ratio in promptu eſt: quia, licèt dictio, *de*, naturalitatem, ſeu originem exigat, vt conſtat ex textu in d. l. 1. *ff. ad municip.* & ex Surdo *deciſ.* 129. *num.* 15. ſub nomine tamen, *origo*, non ſolùm intelligitur propria; verùm etiam paterna natiuitas, vt probatum B eſt *ſuprà.* Simili modo dici etiam poſſet, quando appoſita fuiſſet dictio, *ex*, quæ, etiamſi naturalitatem importet, licèt non ſit ciuili iure contenta, vt benè probant Calder. & Pereira *de poteſt. eligen. cap.* 13. *num.* 21. veruntamen, quia prædictæ dictiones verificari pòſſunt data eò loci origine, licèt paterna tantùm ſit, non tamen poſteà ad illarum verificationem ſufficere videtur ibi beneficium, ſeu domicilium habere temporaneum tantùm; quanuis illud contractum ſit, etiam per decem annos, & vltrà: quia habitatio ſolùm facit incolam, ſeu domiciliarium ad ſubeunda munera, vel ad capiendos honores: (ſecùs autem, quando con- C trahitur cum animo ibi perpetuò commorandi;) non autem ortum, ſeu oriundum, ex l. 1. *cum ſequent. C. de municip. & orig.* l. 2. *C. de incolis.* Idem etiam ſentit Gregor. Lopez *lib.* 2. *verb. Magner. verſ. Aduerte tamen. tit.* 24. *part.* 4. & alij.

13 Oriundus autem dicitur à natiuitate propria, vel paterna. Ita Iaſon in l. *huiuſmodi.* §. *legatum. num.* 18. *ff. de legat.* 1. Mandoſ. *vbi ſuprà, de regul. d. reg.* 16. & *d. quæſt.* 40. Ioſeph Gonzal. *flor. variar. cap.* 36. *num.* 3. Ioſeph de Seſſe Aragoniæ *deciſ.* 30. Lexicon Iuris *in verb. oriundus.* Sicard. *eodem verb.* Garcias Toletan. *in lucerna rubricarum trium, libro Codicis, ſupra d. rubr. de incol. lib.* 10. *num.* 2. Et quanuis filius

ex

A ex origine patris dicatur oriundus, ſiue originarius illius loci, in quo natus eſt, vt dictum eſt ſuprà, ſuccedátque in honoribus, & muneribus, tam perſonalibus, quàm realibus, non tantùm temporalibus, quantùm etiam ſpiritualibus, vt ſolidè tradunt Boër. *deciſ.* 13. *num.* 13. *& n.* 15. Gutier. *conſ.* 7. *num.* 1. attamen ex origine aui nepos non dicitur originarius eius loci, in quo auus natus eſt. Ita Couarr. *de ſponſal. part.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 15. quem citat, & ſequitur Aloyſ. Ricc. *de reſolut. reſolut.* 257. *num.* 5. Vgolin. *cap.* 26. §. 1. *poſt num.* 4. *verſ. excipitur.*

Filius originem patris, non autem matris ſequitur. Te- 14
B xtus eſt optimus in l. *filios.* 3. *C. de municip. & orig.* l. *aſſumptio.* 6. §. *filius.* cum fusè traditis per Pichar. *de nobilitate communicat. num.* 9. *cum ſequent.* & ſic ſortitur forum loci, ex quo pater ortum duxit; non autem vbi mater ad lucem venit. Quando verò pater non eſt legitimus, & filius vulgò dicitur quæſitus; tunc huiuſmodi filius matrem ſequitur, & ibi ſequitur forum, vbi mater fixum habet domicilium. l. 1. *in fin. ff. ad municip.* l. *eius, qui.* 9. *ff. eod.* l. *cùm legitimè.* 19. *de ſtatu homin.*

Expoſitus tamen, cuius parentes ignorantur, non ſolùm 15
iudicabitur municeps, & ciuis loci, in quo natus eſt; verùm
C etiam loci, in quo eſt expoſitus. Sic Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 75. *num.* 12. Bartol. in l. 1. *num.* 21. *ff. ad municip.* Hippolyt. in l. *infans. num.* 10. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Mandoſ. *in tract. de minor. ætat. cap.* 1. *num.* 34.

Qui verò fortuitò natus eſt aliquo in loco, per quem 16
mater pertranſibat, aut illuc, abſque animo permanendi perpetuò, ſe recepit, hoc eſt, in loco proprij domicilij conceptus, & in loco per modum tranſeundi natus eſt filius, ſeu mauis eò loci conceptus, & natus; tamen conceptionis tempore, & partus, eius parentes, dum ibidem commorabantur, nullum prorſus habebant animum conſtituendi domicilium, ſed quidem ad proprium redeundi: quem

quem filium exinde parentes eius vnà cum tota familia ad originarium domicilium tranſportarunt; talis filius non dicitur originarius, neque ciuis eius loci, in quo ſic per accidens ortum duxit ſuum, & conſequenter ratione originis, non ſortitur forum dicti loci, ſed certè patris originem ſequitur. Et ratio eſt euidentiſſima: quia fingitur natus, vbi parens fixum habet domicilium: & quanuis mater alibi per accidens pepererit; fingitur tamen ſemper fuiſſe in loco proprij domicilij, ibique peperiſſe. l. 1. & l. *retrò. ff. de cap.* & notant Panor. in d. cap. *Rodulphus. n. 9. de reſcrip.* & Felin. *ibidem, num.* 13. Bart. in dicta *l. filios. 3. Cod. de municip. & orig.* Gutier. *conſ. 7. num. 2.* Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. loc. præcit. num.* 18. Sylueſt. *verb. ciuitas, quæſt.* 4. Nauar. *conſil.* 41. *de præbend. lib.* 3. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 1. & quamplures alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *de matr. lib. 3. diſp.* 23. *num.* 3. qui etiam addit, id verum eſſe: etiamſi parentes ibi permanſerint per decennium, & vltrà: non enim inſpicitur, quod per accidens eſt; ſed, quod per ſe, iuxta vulgata iura, vt probat Vgolin. *vbi ſuprà, d.* §. 1. *num.* 5. vbi itidem aſſerit, originem ſequi filium in domicilio patris, ſi fortè in mari natus ſit. Et probatur ex eo, quia moraliter non dicitur eſſe in loco, qui tranſit per illum, aut ad breue tempus in eo reperitur. l. *quæſitum.* §. *fin. ff. de legat.* 3. Simili modo & qui natus ſtatim obiit, moraliter reputatur quaſi non natus. cap. *nam & ego. de verb. ſig.* quia, vt notat *ibi* Gloſ. *in ver. quaſi non videtur fuiſſe, quod non durauit.* Quod quidem deſumptum eſt ex D. Hieronymo *in Prouerb. cap.* 4. vbi quærit, cur Salomon vnigenitus appelletur, cùm fratrem habuerit vterinum: & reſpondit, quia cùm ſtatim frater eius obierit, quaſi non natus reputatur; & habetur etiam cap. *ad noſtram. de Regular.* ex quo conſtat, eum, qui ſolùm triduo indutus fuit habitu regulari, abſolutè non dici, eum habitum induiſſe: quia ex Gloſſ. *ibidem, in verb, ſtatim*, & ex Felin. in cap. *in præſentia.*

A *præſentia. n. 32. de probat.* non dicitur factum, quod non durat, arg. l. *quæſitum. 78. §. fin. ff. de legat.* 3. in qua ſic legitur: *Rebus, quæ in fundo ſunt, legatis, accedunt etiam ea, quæ tunc non ſunt, ſi eſſe ſolent; nec, quæ caſu ibi fuerunt, legata exiſtimantur* & l. *ſi fundus. 44.* l. *ſi ita. 86. ff. eod.* in qua ita legitur: *Nec quod caſu abeſſet, minùs eſſe legatum; nec, quòd caſu ibi ſit, magis eſſe legatum.* l. *ſi pro patre. 10. §. verſum autem ff. de in rem verſ.* vbi habetur: *Verſum autem ſic accipimus, vt duret verſum.* l. *item eorum. 6. §. penult. ff. quod cuiuſque vniuer.* l. *nam etſi. 15. §. 1. ff. de inoff. teſt.* l. 2. §. *illud quæſitum eſt. ff. de hæred. vel act. vend.* & l. *diuortium. 3. ff. de diuort.* vbi ſic
B proditur: *Si breui reuerſa eſt vxor, nec diuortiſſe videtur.* Igitur nullo modo dici poſſunt originarij eius loci, qui ſolùm in eo per tranſitum nati ſunt, ſeu etiam concepti, & nati; ſed ſtatim ad proprij domicilij locum à parentibus traducti ſunt; & per conſequens non ſortiuntur forum dicti loci, ſed originem patris ſequuntur: ideò non tenentur legibus particularibus loci, in quo per tranſitum nati ſunt; ſed quidem particularibus eius loci, in quo pater domicilium originis habet, vt *ſuprà* probatum eſt, *iuribus allatis.*

## PARAGRAPHVS IV.

### De domicilio, eius diuiſione, & quibus acquiratur modis.

### SVMMARIVM.

1. *Quid ſit domicilium.*
2. *Quotuplex.*

3. *Domicilium naturale quid ſit.*
4. *Domicilium accidentale quale.*
5. *Domicilium legale quale.*
6. *Ciues quinam dicantur.*
7. *Municeps quis appelletur.*
8. *Municipes quales ſint.*
9. *Incola quiſnam dicatur.*
10. *Aduena quiſnam vocetur.*
11. *Forenſis qualis ſit.*
12. *Peregrinus quiſnam dicatur, & propriè qualis ſit.*
13. *Domicilium per adeptionem dignitatis, ſeu officij, adipiſcitur.*
14. *Domicilium acquiritur non ſolùm à patrefamiliâs; ſed etiam à filiofamiliâs.*
15. *Domicilium contrahitur non ſolùm à maioribus, & puberibus; ſed etiam à pupillis, & infantibus.*
16. *Domicilium per Prælaturæ adeptionem acquiritur.*
17. *Religioſus, ſeu Monachus, ſortitur domicilium loci, in quo effectus eſt Monachus.*
18. *Domicilium acquiritur per beneficium reſidentiam requirens.*
19. *Domicilium conſequitur per adoptionem.*
20. *Domicilium acquiritur per relegationem.*
21. *Domicilium acquiritur per militiæ aſſumptionem.*
22. *Domicilium contrahitur per lecturam.*
23. *Domicilium denique contrahitur per ſubſequens matrimonium.*
24. *Clerici, & laïci omnes per acquiſitionem domicilij accidentalis legibus municipalibus aſtringuntur.*
25. *Quænam requirantur ad acquirendum domicilium accidentale.*
26. *Quilibet vno, eodémque tempore plura domicilia habere poteſt.*
27. *Differentia inter domicilium, & habitationem quænam ſit.*
28. *Habitatio quænam ſit.*

29. Quiſnam

29. *Quiſnam dicatur conſtituere domicilium in aliquo loco.*
30. *Aduena per nudam habitationem non acquirit domicilium, neque tenetur legibus localibus loci, in quo habitat.*
31. *Ad acquirendum domicilium requiritur factum, & habitus.*
32. *Domicilium ſolo habitu acquiri minimè poteſt.*
33. *Peregrini per maiorem anni partem in aliquo loco exiſtentes non aſtringuntur legibus eiuſdem loci.*
34. *Per longam moram quis non efficitur ciuis, neque legibus loci moræ ſubiicitur.*
35. *Bugellenſes per maiorem anni partem in loco aliquo commorantes non ſubduntur legibus illius loci.*
36. *In dubiis per aſſiduam, & continuatam habitationem iudicandum eſt, aduenam teneri legibus ſuæ aſſiduæ habitationis.*
37. *Gubernatores Prouinciarum, Prætores, Præfecti Oppidorum, ſcholares, & ſimiles, non aſtringuntur legibus particularibus loci, in quo ſuam reſidentiam faciunt.*
38. *Peregrini non ſortiuntur forum loci, neque efficiuntur diœceſani ad hoc, vt legibus ſubiiciantur localibus, niſi per domicilium perpetuæ moræ.*
39. *Epiſcopus vota, & iuramenta aduenarum commutare non poteſt.*
40. *Corollarium quæſtionis.*
41. *Familiares Realis Celſitudinis Sabaudiæ, dum Camberij moram trahunt, non tenentur obſeruare ea, quæ ab incolis obſeruantur.*
42. *Quonam tempore, à quo, quibúſve de cauſis inſtitutæ fuerint Rogationes triduanæ ante Dominicam Aſcenſionem.*
43. *Triduanas Rogationes multò antè inſtitutas, quàm à S. Mamerto, probatur à Sanctis Patribus.*
44. *Hiſce tribus Rogationum diebus ieiunium moribus ſublatum eſt, vt experientia patet.*
45. *Probatio Authorum.*
46. *Aduenæ non adimplentes leges locales, non incidunt in cenſuram loci latam contra non reuelantes.*

47. *Aduenæ non ligantur cenſuris, etiam per ſententiam generalem, ſiue per præceptum vibratis.*

1 DOMICILIVM igitur eſt habitatio, ſeu domus, ex qua habitator, incola, inquilinus, ſiue colonus dicitur, ex Marian. Socin. ſen. *in cap. vlt. de foro compet.* A

2 Triplex eſt autem domicilium, naturale, ſcilicet, accidentale, & legale, hoc eſt, ex diſpoſitione legis.

3 Naturale eſt locus originis propriæ, vel paternæ habitationis: & hoc acquiritur non facto, & habitu, ſed ab ipſamet natura: vnde quilibet infans, maſculus, & fœmina, ſtatim ac naſcitur, illud acquirit. Gloſ. in l. *ciues.* §. *Celſus, C. de incolis.* l. 1. *C. vbi pet. tut.* & l. *de pupillo. ff. de tut. & curat. dat. ab his.* & hoc eſt merè neceſſarium, & irrepudiabile, vt B originis veræ, maximè cùm eidem renunciare non poſſimus, quia naturalia ſunt immutabilia. Hanc igitur differentiam inter domicilium naturale, & accidentale eſſe deſcribunt Doctores: quia naturale domicilium eſt immutabile. l. *aſſumptio. ff. ad municip.* & l. *origine. C. de municip. & orig.* quatenus, ſcilicet, eſt habitum ab ipſamet natura, & inter naturalia numeratur. Accidentale verò non ſic: quia propria voluntate, & facto mutari poteſt; ſicut & propria voluntate, factóque acquiritur. Nam res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, iuxta reg. 1. *de reg. iur.* Et quanuis ſit huiuſmodi immutabilitas domici- C lij naturalis, ſiue originis; tamen non inducit immutabilitatem ſubiectionis, & obligationis ad leges patriæ ſeruandas, maximè cùm eæ non obligent extra territorium, vt probatum eſt *ſuprà, iuribus allatis*: ſed facit ſolùm, vt patria ipſa, ex qua quis natus eſt, mutari non poſſit. d. l. *aſſum-*
4 *ptio. ff. ad municip.* l. *origine. C. de municip. & orig.*

Accidentale, eſt locus, quem quiſque ſibi aſſumit, vt ibi perpetuò habitet. d. l. *aſſumptio. in princip. iuncto* §. *viris prudentib.*

A *prudentib. ff. ad municip.* vel vbi quis ſedes , tabuláſque ha-
bet , ſuáſque conſtituit ſedes. l. *in lege. ff. de verbor. ſignificat.*
exindéque diſceſſurus non ſit, ſi nihil auocet. D. Adrianus
ſuo edicto manifeſtè hoc declarauit in d. l *ciues. C. de incol. lib.*
10. Marian Socin. ſen. in cap. vlt. *de foro compet. n.* 7. & alij.

Legale eſt , quod per legis diſpoſitionem acquiritur , & 5
dicitur incolatus. l *priuilegio.* & *ibi* notat Bald. *C. de incolis,*
*lib.* 10. allegat etiam cap. *antiqua. de priuileg.* & l. fin. *C. de ven.*
*rer. ciuit.* l 3. §. *planè. ff quod vi , aut clam.* Incolatus autem
accipitur pro ciuilitate , & municipio , licèt impropriè , vt
dicit Bartol. in l. *Imperatores.* § *item reſcripſerunt. ff. ad munic.*

B Differentiam autem inter municipem , ciuem , & incolam
exponit Gloſ. in d l. *ciues. C. de incolis, lib.* 10. & in Rubr. *C. de*
*municip. & orig.* & dicit , quòd municeps eſt genus ; ciuis, &
incola ſunt ſpecies.

Ciues facit origo , manumiſſio , vel allectio , hoc eſt, ele- 6
ctio ad honorem , ſeu dignitatem ciuitatis , vel adoptio. d.
l. *ciues. C. de incolis. lib. eod.*

Municeps igitur propriè dicitur , qui munera ciuitatis 7
ſubiit : & hac de cauſa aliquando Romani ex priuilegio fa-
ciebant municipes , & aliquando colonias , ex Socin. *eod. lo-*
*co ſuprà citato.*

C Municipes ſunt originarij , l. 1. *ad municip.* l. *ciues. C. de* 8
*incol.* & *ibi* pulchrè Bartol. vnde municipem facit natiuitas,
aut manumiſſio , ſiue adoptio d l. *municipem. ff. eod.*

Incola dicitur , quaſi valdè colens , & venerans prouin- 9
ciam , in quam ſe contulit , cùm loco illius aliam reliquerit:
nec tantùm qui in ciuitate , aut oppido moratur; ſed etiam,
qui in vltimis finibus ſedem ponit, incola dicitur. l. *pupillus.*
§. *incola. ff. de verb. ſign.* Incolas autem domicilium facit. d. l.
*ciues. C. de incol.*

Aduena dicitur, qui de nouo aliunde venit abſque ani- 10
mo conſtituendi domicilium , & ibi perpetuò commoran-
di. Colligitur ex cap. *fundamenta.* §. *vt autem. de elect. lib.* 6.

& licèt aliqui aduenam, accolam, & incolam pro eodem accipiant; tamen Gloſ. *in d.* §. *incola*, & d. l. *pupillus. in* §. *aduena. ff. eod.* reprobat, & non immeritò: nam aduena dicitur, qui in aliquo moratur loco ad tempus, abſque eo, quòd ibi domicilium, aut incolatum habeat: vnde Gen. *cap.* 19. *verſ.* 9. Sodomitæ Lot dixerunt: *Ingreſſus es, vt aduena: nunquid vt iudices?* Et ſic dicitur aduena, quaſi aliunde veniens: & quanuis per alluſionem vocabuli, *accola*, & *incola*, tanquàm pro aliunde venientibus videantur ſupponi; attamen qui aduenit cum animo, vt ibi perpetuum ſibi conſtituat domicilium, dicitur incola, & eò loci domicilium habere, vt ibi perpetuò ſit. Alciat. in l. *pupillus.* §. *incola. num.* 11. *ff. de verb. ſign.* Accola verò dicitur, quaſi aliquo tempore locum colens: vnde qui venit, ſiue aduenit, vt ibi pro aliquo tantùm tempore, non tamen vt perpetuam ſibi ſedem ponat, dicitur accola: & ſic ſcholaris potiùs dicitur accola, quàm incola, ex Marian. Socin. *vbi ſup. loc. cit.* A B

11 Forenſis dicitur ille, qui non habitat in loco, ſed deforis venit. Textus eſt expreſſus in Auth. *de Quæſtore.* §. *ſi verò in hac habitantium ciuitate.* & *in* §. *ſi verò aliquis proſpexerit. collat.* 6.

12 Peregrinus autem largè dicitur, qui à loco ſui domicilij proficiſcitur. d. l. *Ciues. C. de incol.* Propriè autem dicitur, qui cauſa deuotionis aliò ſe diuertit, Deiparæ, Apoſtolorum, aliorúmque Sanctorum Limina, & Oratoria viſitans, cap. *ſi quis Romipetas.* cap. *paternarum.* & cap. *illi, qui,* 24. *quæſt.* 3. & omnis, qui eſt in loco, vbi non habet domicilium, neque habitationem; ſed eſt ibi ſolùm per modum tranſeundi, dicitur peregrinus. Gloſ. in d. l. *ciues.* & Bart. *ibidem. C. de incol.* Ex quibus omnibus ſic diſpoſitis, & præmiſſis videndum eſt, quinam obligari poſſint legibus particularibus, hoc eſt, municipalibus, ex acquiſitione domicilij: & dicendum eſt, tantummodo municipes, ſiue originarios, & incolas obligari, atque aſtringi poſſe legibus, præceptis, & C

conſuetudinibus

A conſuetudinibus particularibus eius loci, in quo originem, & incolatum contraxiſſe dicuntur; ratione, ſcilicet, domicilij originalis, accidentalis, & legalis, hoc eſt, per natiuitatem propriam, & paternam, aut per animi deſtinationem, ſiue per legis diſpoſitionem acquiſiti. l. *municipem.* d. l. *aſſumptio. ff. ad municip.* l. 1. & l. vlt. *C. de municip. & orig.* & l. *non vtique. ff. eod.* Reliqui verò, nimirum, aduenæ, accolæ, peregrini, & forenſes, nullis prorſus aſtringuntur legibus particularibus, præter leges duntaxat ſuæ patriæ, vt *infrà, ſuo loco* probabimus: qui quidem, etſi ſint alibi, ſunt per accidens, & per modum tranſeuntis ſine vlla ſubiectio-
B ne. Quibus autem modis domicilium accidentale acquiratur, in præſenti quæſtione exactè nobis examinandum eſt.

Primò igitur contrahitur ſolo animo, & facto per adeptionem dignitatis, aut officij, & præcipuè à Conſiliariis, 13
Senatoribus, Præſidentibus, & ſimilibus, vt etiam à quolibet habente aliquod officium perpetuum, ciuitati, ſeu loco, vel aulæ Imperatoriæ, Regiæ Ducali, ſeu cuiuſlibet Principis, nullum Superiorem recognoſcentis, annexum. Ita Bartol. in d. l. 1. & l. *municeps. ff. ad municipium.* Et Doctores in cap. fin. *de foro comp.* Item, Bartol. & Iacob. Rebuff. in l. *ciues. C. de incolis. lib.* 10. Quare Bugellanus, factus
C Senator Taurini, dicitur ibi domicilium habere: Senatores enim, licèt in vrbe domicilium habere dicantur; nihilominùs & ibi, vnde oriundi ſunt, domicilium habere intelliguntur: quia dignitas domicilij adiectionem potiùs dediſſe, quàm permutaſſe intelligitur. l. *penult. ff. de Senatorib.* & Marian. Socin. ſen. *in cap. vlt. de foro compet.*

Item, huiuſmodi domicilium acquiritur, non ſolùm à 14
patrefamiliâs, verùm etiam à filiofamiliâs, etiam ſine patris conſenſu. l. *placet.* & l. ſequ. *ff. ad municip.* Neque neceſſitatur filius patris domicilium ſequi: at verò ad ſui libitum ſibi ipſi domicilium conſtituere poteſt, ex Socin. ſen. *loco proximè citato*, & aliis.

Item,

15 Item, huiuſmodi domicilium acquirere poſſunt non ſo- A
lùm maiores, & puberes, ſed etiam pupilli, & infantes, vt ſingulariter teſtatur Bartol. in d. l. *placet. ff. eod:* & in d. l. 1. *C. vbi pet. tut.*

16 Item, per prælaturæ adeptionem domicilium quæritur; nimirum, ibi domicilium quis habet, vbi Prælatus eſt: maximè quando beneficium prælaturæ requirit reſidentiam; ſecùs autem, ſi non eſſet reſidentiale. Bartolus in d. l. 1. *ff. ad municip.* Lupus in cap. 2. *de offic. deleg. lib.* 6. Socin. in cap. fin. *de paroch.* Ideò effectus Epiſcopus, vel Abbas in aliquo loco, ibi domicilium ſortitur ratione perpetuæ reſidentiæ. Ita Innocent. in cap. *ex ore. de priuileg.* Ioann. An- B
dreas in cap. *ſtatutum. paragr. cùm verò. de reſcript. lib.* 6. & Bartol. in d. l. 1. *ff. eodem*; & in l. *ciues. C. de incolis.* Panormitan. & alij in cap. *poſtulaſti. de foro comp.* Abbates autem, & Præpoſiti, ſeu Decani, ſimul atque Canonici omnes efficiuntur ciues, vbi dignitatem, ſeu canonicatum habent. Bart. in l. *ratio. ff. ad municip.* Et redditur ratio: quia Capitulum, cùm ſit corpus fictum, efficitur ciuis illius ciuitatis, vbi naſcitur: Prælati autem, ſeu Canonici, ſunt de illo corpore Capituli, ex Marian. Socin. ſen. *loc. citat.* & Rebuff. *de domicil. elect.* ideò efficiuntur ciues eius loci, vbi Capitulum erectum eſt. C

17 Item, Monachus, ſeu Religioſus, ſortitur domicilium eius loci, in quo effectus eſt Monachus, quandiu erit in eo: nam, ſi aliò transferatur, ibi domicilium habebit, ſecundùm Bartol. in d. l. 1. *loco citato*, & Expoſitores in cap. fin. *de paroch.* Felin. in cap. *dilectus. col.* 4. *in* 8. *concluſ. de reſcript.* tamen Monachus, & Clericus non deſinunt eſſe ciues originis, licèt alibi per habitationem domicilium acquirant: nam retinent iura cognationis: argum. l. 1. *ff. ad municip.* Rebuff. *loc. cit.* Monachus etiam efficitur ciuis, vbi Monachatum habet, vt *ſuprà* probatum eſt.

18 Item, per beneficium reſidentiam requirens acquiritur domicilium,

A domicilium, vbi reſidentia requiritur. cap. *cùm nullus. de temp. ordin. lib. 6.* cap. *ex ore. de priuileg.* l. *Senatores. ff. de Senat.* Felin. in d. cap. *dilectus. col. 2. de reſcript.* Innocent. in d. cap. *ex ore. poſt num. 2. verſ. item in caſibus. de priuileg.* & *ibi* Butrius *num.* 10. Farinac. *in fragment. crimin. part.* 1. *num.* 226. *litt. D.* Maſcard. *concluſ.* 534. *num.* 5. Cardin. Tuſc. *verbo, domicilium, concluſ.* 596. *num.* 1. At verò, cùm omne beneficium aſſiduitatem requirat perſonarum, iuxta cap. *ad hæc. §. cùm ſingula. extrà, de præbend.* & cap. *prætereà. titulo eod.* tamen non habet locum in beneficio ſimplici, ratione cuius non ſortitur domicilium: ex Rebuff. *in praxi beneficior.*
B *tit. Diſpenſatio de non reſidend. num.* 74. *verſ. ad hæc Clericus.*

Item, per adoptionem conſtituitur domicilium: quis 19
enim efficitur ciuis ciuitatis adoptantis. l. *ciues. C. de incol. lib.* 10. Ergo à fortiori, Monachus, qui ratione Monachatus in Abbatis, ſeu Prioris, & Monaſterij poteſtatem tranſit, domicilium acquirit eò loci, vbi Monachatum profitetur, *iuribus præcit.*

Prætereà, per relegationem acquiritur domicilium: re- 20
legatus enim eò loci, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium habet domicilium. l. *Filij. §. relegatus. ff. ad municip.* & *ibi* Bart. dicit, facere pro confinatis, (vt ſuis vtar verbis,)
C vbi domicilium ipſi ſortiuntur. l. 2. *§. fin. ff. ad municip.* quod etiam facit pro condemnatis ad triremes, qui ibi domicilium habere dicuntur, vbi adeſt portus, ad quem condemnati ſunt.

Item, per militiæ aſſumptionem, ſeu militarem expedi- 21
tionem quæritur domicilium, ſecundùm Bart. in d. l. 1. & in d. l. *ciues. C. de incol.*

Item, per lecturam ſortitur domicilium: nam Doctor 22
ibi cenſetur habere domicilium, vbi eſt conductus, & ſtipendia habet, & vbi iura profitetur, ſiue ſit Doctor regens ordinarius, ſiue non. Bart. in l. *municeps. ff. ad municip.* Soc. ſen. in d. cap. fin. *de for. comp.* Felin. *in rubr. de magiſtris, col. vlt.*

F Inſuper

23 Inſuper per ſubſequens matrimonium acquiritur domi- A
cilium eò loci, in quo quis nupſit, ſi vir eò ſe conferat habitandi gratia: vnde mulier ibi domicilium habet, vbi vir habitat. l. penult. *ff. de iuriſd. omn. iud.* Bart. in l. *ab ea. col. 4. C. quo modo, & quand. Iud.* & Bald. in l. fin. §. *item reſcripſerunt. ff. ad municip.* Præterea, filius adoptiuus domicilium habet in eo loco, in quo pater adoptans habitat, donec emancipatus fuerit. l. *ordine. in fin.* & l. *ſed ſi. ff. eod.* Iacob. Rebuff. in d. l. *ciues.* & in Gloſ. mag. *C. eod.* & Socin. ſen. *vbi ſup. loc. præcit. in tertio membro.*

24 Quare, ex iis omnibus, tum iuribus, tum etiam rationibus *ſuprà* recenſitis, abſolutè, & neceſſariò concluden- B
dum eſt, omnes, & ſingulos, tam laïcos, quàm etiam Clericos, & Monachos non ſolùm aſtringi legibus, præceptis, & conſuetudinibus particularibus eius loci, in quo domicilium habent naturale, ſiue originale, aut legale; verùm etiam accidentale.

25 Quæ autem ad acquirendum domicilium accidentale aliquo in loco, ad hoc, vt quis legibus eius loci teneatur, requirantur, cum communi omnium DD. ſententia affirmandum eſt, duo ſimpliciter neceſſaria requiri, habitum, ſcilicet, & factum; hoc eſt, actualem habitationem, & animum eò loci perpetuò habitandi, l. *domicilium. 20. ff. ad* C
*municip.* l. *non vtique. 4. ff. eodem*, & fuſiùs apud Marian. Socin. ſen. videre eſt *in cap. vlt. col. 2. verſ. ſextò principaliter quæro. de for. comp.* quem etiam ſequuti ſunt Alciatus *in l. prouinciales. n. 2. ff. de verb. ſign.* & Andreas Gaillius *in l. 2. de obſeruat. obſeruat. 36. n. 3.*

26 Neque abs re tacitum præterire volo, quemlibet vno, eodémque tempore plura domicilia habere poſſe; vnum reſpectu originis; alterum verò reſpectu incolatus: & ſic nouum domicilium, & noua parochia acquiri poteſt in vno loco, non amiſſo, ſed retento domicilio, & parochia vetere in loco domicilij originis: textus eſt optimus in l. 1. *C.*

*de*

A *de municip. & orig.* l. *aſſumptio.* §. *filius.* & l. *eius, qui manumiſit.* §. *Celſus.* l. *Labeo. ff. ad municip.* cap. *cùm quis. de ſepult. lib.* 6. & Gloſ. *ibidem, in verb. nota.* Vlteriùs Socin. ſenior *in cap. fin. num.* 21. *de for. comp.* Rot. Roman. *deciſ.* 188. *part.* 2. *recent. num.* 4. cui ſententiæ aſſentiri videtur Vgolin. *cap.* 26. §. 2. Quando autem contingit, vt quis intentionem habeat retinendi vtrunque, & æqualiter, aut viciſſim habitandi in vtroque ad bonam anni partem, v. g. in vno æſtiuo, in altero verò hyberno tempore; tunc leges vtriuſque loci ſeruandæ erunt, pro quo habitatio habetur in vtroque, vt benè inquit Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 12. *n.* 40. Bonac.
B *de leg. quæſt.* 1. *puncto* 6. *n.* 42. & Salas *eod. verb. diſp.* 14. *ſect.* 4. *n.* 37. Et ratio eſt: quia pro huiuſmodi tempore habens tale duplex domicilium, verè dicitur incola vtriuſque loci, & pars vtriuſque Communitatis. Igitur in ſimili caſu duplicis domicilij, necnon parochiæ, Sacramenta indifferenter toto anno ab vtroque Parocho ſuſcipi poſſunt, neque neceſſarium eſt, vt ſuſcipiantur determinatè ab eo, in cuius parochia fit habitatio, quando ſuſcipiuntur, vt doctè notant aliqui apud Sanchez *de matr. diſp.* 24. *num.* 4.

Notandum tamen in primis eſt, hanc eſſe differentiam 27
inter domicilium, & habitationem, quòd domicilium eſt
C locus originis, vel perpetuæ habitationis: Habitatio verò 28
eſt commoratio alicuius in loco per accidens cum animo ſe aliò transferendi, ex Menochio *conſil.* 329. *n.* 3. & probatur ex l. 1. §. *habitatione. ff. de his, qui deiecer. vel effuder.* Gloſ. in l. *hæres abſens.* §. 1. *in verb. domicilium, ff. de iud.* Bart. in l. 4. §. *Prætor ait. n.* 9. *ff. de dam. infect.* Ruuius *in conſil. lib.* 5. *conſil.* 86. *num.* 1.

Domicilium igitur conſtituitur ab eo, qui ad aliquem 29
locum ſe contulit cum tota familia, bonáque mobilia tranſportauit ad habitandum ibi, atque ſe declarauit illic perpetuam habere habitationem: talem enim verum conſtituiſſe domicilium dicendum erit: eſt enim habitatio ani-

mi deſtinatione perpetua, in qua quis rerum ſuarum ma- A
gnam partem conſtituit: d. l. *ciues. 7. C. de incol.* Bart. *in l. 1.*
*num.* 11. & in d. l. *aſſumptio. 6. §. viris prudentibus. num. 2.*
*ff. ad municip.* & in l. *lege.* 203. l. *pupillus.* 239. §. *incola. ff.*
*de verb. ſignific.* & cap. *nullus.* vbi Gloſ. *in verb. domicilium,*
*de temp. ord. lib. 6.* & Rebuff. *de verb. ſign. lege* 190. & *de do-*
*micil. elect. num. 6.* Quapropter huiuſmodi incola procul-
dubiò eo ipſo, quòd contraxerit prædicto modo domici-
lium, ſubiicitur iuribus, præceptis, & conſuetudinibus
loci, in quo domicilium conſtituit.

30 Ex quibus ſic præmiſſis, & prænotatis, abſolutè, & ſim-
pliciter concludendum eſt, aduenam, ſiue hoſpitem, in B
aliquo loco ſolam habentem habitationem cum animo ad
domum ſuam reuertendi, licèt ibi diutiſſimè habitaret,
etiam (vt ita dicam) per mille annos, nunquam contra-
cturum domicilium, & conſequenter nullo iure fore ſub-
ditum, atque adeò neque ligandum eſſe legibus, præce-
ptis, & conſuetudinibus illius loci ſuæ temporaneæ habita-
tionis, ex l. *quæſitum. 7. in princip. ff. de legat.* 3. l. *nihil. ff. de*
*cap. & poſtlim. reuerſ.* & ex l. *ex facto. 35. §. verum. ff. de hæred.*
*inſtit.* Textus eſt etiam ſingularis in l. penult. *ff. de Senat.* &
Gloſ. *in ver. oriundus.* in cap. *accidens. vt lit. non conteſt.* Io-
ſeph. Lud. Peruſ. *deciſ. 16. num. 1. & ſequent.* Marian. Socin. C
ſen. *in iunior. conſil. conſil. 35. num. 9. pag. mihi* 1. & idem So-
cin. *pag. 4. conſil. 79. num. 3.* Dynus in d. l. *quæſitum.* Bart. in
l. *lex Cornelia. 5. de iniur. & fam. lib.* Menoch. *de arbit. iudic.*
*lib. 2. centur. 1. in caſu 86. num. 7.* cap. *dilectus. el 2. de reſcript.*
cap. *ſi Epiſcopus. de paroch.* cap. *cùm nullius. de temp. ordin. lib. 6.*
Aloyſ. Ricc. *reſolut. 263. num. 2.* Alciat. *in reſponſ. reſponſ. 55.*
*num. 9.* & paſſim DD. omnes, tam in iure Cæſareo, quàm
etiam in pontificio. Et ratio eſt: quia ad obligandum re-
quiritur iuriſdictio, ſiue poteſtas in obligante; & ſubiectio
in eo, qui obligatur: atqui per ſolam habitationem, ſeu per
nudam moram præcisè non acquiritur huiuſmodi iuriſdi-

ctio,

A ctio, & ſubiectio, *iuribus ſuprà allatis*: ergo aduena non ſubiicitur iuribus loci, in quo pro tempore reperitur. Quapropter Panormitanus in cap. *nullus Epiſcopus. num. 4. de paroch.* expreſsè ait, quòd ad ſubiiciendum aliquem iuribus, & conſuetudinibus diœceſanis ſpectetur domicilium; non autem ſola habitatio, ſeu mora. Idem ſingulariter habetur ex cap. *is, qui. de ſepult. lib. 6.* & Gloſ. *ibidem, in verbo, Nota.* vbi legitur: *Ex ſola mora facta in loco quis non cenſetur parochianus illius loci: ſed oportet, quòd animo ſit perpetuæ moræ.* Idem habetur ex cap. *Romana. §. contrahentes. de for. comp.* & textus eſt optimus in l. *nec ipſi. 2. C. de incol.* l. *libertus: 17. §. ſola do-*
B *mus. ff. ad municip.* d. l. *non vtique. 4. ff. eodem.* l. *debitor. ff. de pign.* l. *hæres abſens. §. proinde. ff. de iud.* & Reginaldus *ſup. cit. in ver. aduerte hîc obiter. in fin. n. 79.* Ergo aduenæ non ſubiiciuntur legibus localibus, neque diœceſanis illius loci, in quo moram trahunt, ac propterea per quaſi domicilium, ſeu per nudam habitationem, licèt longam, exteri non obligantur legibus, ſeu præceptis particularibus loci ſuæ temporaneæ habitationis.

Probatur prætereà: quia ad hoc, vt aduenæ, ſiue extra- 31
nei contrahant domicilium, ex quo legibus, conſuetudinéque illius loci ligentur, requiritur factum, & habitus,
C hoc eſt, actualis habitatio, & animus ibi perpetuò manendi. Textus apertiſſimè, & expreſsè hoc tradit in l. *domicilium. 20. ff. ad municip.* d. l. *non vtique. 4. ff. eod.* l. *ciues. 7. C. de incol.* l. *cùm neque. 4. C. eodem.* & cap. 1. 2. & 3. *de ſepult. lib. 6.* Gloſ. in cap. *tum ex litteris. de in integr. rerum, in verb. diſtantia.* Sed habentes ſolam habitationem in aliquo loco cum animo aliò ſe transferendi, non habent habitum, qui ſimpliciter eſt neceſſarius aduenis ad conſtituendum domicilium: quo deficiente nullo modo dici poteſt, eos ibi contrahere domicilium, maximè cùm illis deſit animus perpetuæ moræ: ergo, &c.

Probatur inſuper: quia, ſicut domicilium animo, & 32

facto ſemel acquiſitum deperdi non poteſt ſolo animo; ſed A animo, & facto, ex d. l. *domicilium. ff. ad municip.* in qua ſic legitur: *Domicilium re, & facto transfertur; non autem nuda conſtitutione.* & l. *ciues. in verbo, larem. C. de incol. lib.* 10. Bart. in l. *placet. n.* 1. *ff. ad municip.* l. *origine.* 4. *C. de municipib. & originar.* Ideò neque illud ſolo animo, ſed animo, & facto acquiri poteſt: nam res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, d. cap. 1. *de reg. iur.* ergo ad acquirendum domicilium, per ſe loquendo, requiritur factum, & habitus, hoc eſt, actualis habitatio cum animo perpetuò in loco commorandi. cap. *cùm nullus. de tempor. ordin. lib.* 6. Abb. in cap. fin. *de paroch.* d. l. *eius. d.* §. *Celſus. ff. ad municip.* Rota Romana *in Legionen. Capellaniæ, Veneris, die* 9. *Iunij*, 1581. *deciſ.* 150. *n.* 6. & 7. *part.* 2. *nouiſſ.* Marian. Socin. ſenior in cap. *licèt ratione. num.* 25. *de for. compet.* P. Cunedo *qq. canonic. quæſt.* 38. *n.* 38. Henriquez *lib.* 10. *de Sacramento Ord. cap.* 27. *n.* 1. Graph. *lib.* 3. *cap.* 2. *deciſ. aurear. n.* 2. *verſ. ſextum.* Nauar. *lib.* 1. *conſil. titul. de tempor. ordin. conſil.* 10. *n.* 2. & *conſil.* 11. Majolus *de irregular. lib.* 4. *cap.* 2. Salcedo *in addition. ad Bernardum Diaz, cap.* 26. *pag.* 93. *litt. C.* quos citat, & ſequitur Fagundez *de Præceptis Eccleſ. lib.* 1. *Præcep.* 4. *cap.* 7. *num.* 12. Tum etiam, quia Andreas Alciatus *reſponſ.* 55. *n.* 9. interrogatus, num Præfectus vrbis, aut caſtri, qui ibi vltra decennium habitauit, & magnam bonorum ſuorum partem illic tranſtulit, domicilium contraxiſſe dicendus ſit; reſpondit, minimè contraxiſſe, cùm eò Præfectus recedendi animo acceſſerit.

33 Et quamuis nonnulli dicant, peregrinos, & aduenas per maiorem anni partem in aliquo loco exiſtentes ſubiici legibus localibus, & teneri ad ieiunia, & ad alias obligationes illius loci; ſenſus tamen eorum eſt, non vt ipſi peregrini teneantur ad prædicta, ratione talis moræ præcisè; ſed quatenus eis non conſtat de peregrinorum voluntate ad patriam reuertendi: ideò ex tali mora præſumunt, aduenas ibi

A ibi perpetuò commoraturos. Et ratio eſt: quia per maiorem, aut minorem moram obligationem inducere, aut diſcernere non poſſumus vllam: nulla enim regula moralis, & certa aſſignari poteſt ad hanc diſcretionem faciendam; neque ratio aliqua: quia maior, aut minor mora non videtur dare iuriſdictionem vni, & ſubiectionem alteri: tum, quia nullum in eo caſu præſtitutum eſt tempus, ex cuius decurſu aliqua ſumi poſſit coniectura, vt in caſu ſtudiorum, litis, ſollicitationis, mercaturæ, & in ſimilibus, d. l. 2. *C. de incol.* Ita Pariſ. *lib.* 3. *conſ.* 53. *n.* 89. Crauetta *in ritu magnæ Curiæ*, 301. *n.* 21. & *conſ.* 201. *n.* 10. Vegius *conſ.* 10. *num.* 10.
B Gaill. *in conſuetud. Alexandriæ*, §. 20. *quæſt.* 4. *num.* 7. *& num.* 13. Surdus *conſil.* 106. *num.* 5. Alciat. in l. *municeps.* 228. *ff. de verb. ſign.* Rota Roman. *deciſ.* 105. *n.* 5. *in* 2. *parte, in nouiſſimis*, apud Menoch. *de arbitr. iud. lib.* 2. *cent.* 1. *caſu* 86. *n.* 27.

Inſuper etiam addo, quia Bartol. in d. l. *lex Cornelia.* 5. 34
§. *ſi tamen. num.* 1. *verſ venio ad verſiculum. ff. de iniur. & fam. lib.* & in l. *quæſitum. in principio. ff. de legat.* 3. ait, quòd quando ex ſignis apparet, quòd aduena habet animum redeundi ad patriam, etiamſi moraretur per mille annos, non efficeretur ciuis, & conſequenter non ſubiiceretur legibus, & conſuetudinibus loci illius: Ita quoque Boërius in l. *conſen-*
C *taneum. num.* 107. *C quomodo, & quando Iudex.* Socin. ſenior *col.* 3. *verſ. ſi verò animum ſuum. num.* 25. *de foro compet. in cap. vlt.* poſt Dynum, & Barbat. in d. l. *lex Cornelia.* 5. §. *domum. ff. de iniur. & fam. lib.* poſt Bald. in l. *eſt verum.* 3. *C. de incol.* & Angel. in l. *nec ipſi. C. eod.* apud Menoch. *de arbitr. iud. loco præcit.* & in d. l. *quæſitum. ff. eod.* & l. *nihil. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.* l. *ex facto.* 35. §. *rerum. ff. de hæred. inſt.* l. *nihil. ff. de capt & poſtlim. reuerſ.* Speculator *in tit. de reo.* §. 1. *verſ. porrò ſcholaris.*

Quocirca Bugellenſes, qui ſingulis annis ad reficienda tecta, lateres fingendos, necnon coquendos, ædificiáque conſtruenda ad diuerſa Inſubriæ loca ſe ſe diuertunt, 35

ibique

ibiq́ue per maiorem anni partem commorantur, nullo modo ſubiiciuntur legibus, neque minùs tenentur ad ieiunia, feſtáque colenda ratione legis, vel conſuetudinis particularis eius loci, in quo moram trahunt. Nam declaratio animi ſemper facto prævalet: quoniam ſcimus, in iis, quæ ab animo noſtro pendent, potiùs ſtandum eſſe declarationi expreſſæ, quàm facto contrario. Ita Bart. in l. *non ſolùm.§.morte.num.* 17. vbi etiam Iaſon *num.* 14. *verſ.* 1. & *ibi* Rubeus *num.* 206.*ff. de noui oper. nunciat.* Item, latè Ripa in cap.*cùm Marcus Ferrarienſis.num.* 83. *de conſt.* Nec aduerſatur l. *Senatores.2.C. vbi Senat.vel clariſſ.* dum ibi legitur:*Vbi larem fouent, aut vbi maiorem bonorum partem poßident.* Et licèt quaſi ſentiat, eum ex poſſeſſione bonorum domicilium conſtituiſſe; tamen textus ille loquitur in caſu dubio; vbi, ſcilicet, mentem ſuam non declarauit: ſola enim domus, vel bonorum emptio ſine animo perpetuò reſidendi, domicilium non facit. cap. *ſi Epiſcopus. de paroch.* cap. *cùm nullus. de temp. ordin.* Riccius *in praxi fori eccleſ. reſolut.* 263. *num.* 2. & quatenus non conſtat de voluntate habitantis in prædicto caſu: ideò præſumit lex, peregrinum aſſumpſiſſe domicilium perpetuum ex tali poſſeſſione bonorum, iuxta expoſitionem Socini, *vbi ſuprà*, apud Menoch. *loc. cit.* ita etiam Innocent. in cap. *ex parte.* & Bart. in l. 2. *C. vbi de crimine agi oporteat.*

36 Quando autem dubitatur de animo perpetuò reſidendi, quem nuſquam verbis, aut ſufficientibus indiciis inſinuauit habitator alienigena, tunc ad coniecturas recurrendum eſt. Hinc eſt, quòd ſi ex decurſu decem annorum aſſidua probetur habitatio aliquo in loco; dummodo tamen ſit continua, & non interrupta; tunc illum ampliùs ex eo non receſſurum, ſed ibi perpetuò manſurum, omninò præſumendum eſt: curſum enim decennij, ad declarandum aliquem contraxiſſe domicilium, quando tamen aliter de eius voluntate non conſtat, ſufficere affirmant Doctores omnes, & ſingulariter Gloſ. in l. *nec ipſi*, & in l. *eſt verum.*

*C.de*

A *C. de incol. lib.* 10. *l. cùm neque. C. eodem. l. tum. de in rem ver-*
*ſo. ff. de vſur.* Bald. *in l.* 2. *C. vbi Senat. vel clariſſ.* Cui ſenten-
tiæ etiam ſingulari doctrina fauent Abbas in c. vlt. *num.* 8.
*de paroch.* vbi citat Hoſtienſ. Item Alexander *conſ.* 155. *n.* 3.
*lib.* 7. Angel. *conſil.* 27. incipiente: *Quidam Victor.* Socin. iu-
nior *lib.* 1. *conſ.* 49. *num.* 6. Rota Romana *part.* 2. *recent. deciſ.*
188. *num.* 3. Iacob. Menoch. *de arbitr. iud. caſu* 86. *à num.* 18.
*& ſeqq.* Secùs autem, ſi adeſſet aliquod indicium ſufficiens,
aut de illius conſtaret voluntate, eum nullum habere ani-
mum eo loco perpetuò habitandi.

Quod quidem continuò accidit in ſcholaribus, prouin- 37
B ciarum Gubernatoribus, oppidorum Prætoribus, & Præ-
fectis, Caſtellanis, famulis ad tempus ſeruientibus, & ſi-
milibus, provt *ſuprà* diximus, qui omnes ad patriam redire
ſemper cogitant: vnde prædictos omnes ex ea mora, quam
contrahunt, dum in tali officio, ſuo funguntur munere, in
eodem loco domicilium ſortiri nullo modo dici poteſt,
quamuis ibi reſidendo peruenirent etiam (vt ita dicam) ad
Neſtoreos annos, provt *ſuprà* probatum eſt; ac perinde non
ligantur legibus, & conſuetudinibus eius loci, vbi tempo-
raneam habitationem habent. Ita Bald. *par.* 1. *conſ.* 393. in-
cipient. *Punctus talis. num.* 2 & *par.* 5. *conſil.* 156. & Bart. in l.
C *Cornelia lex.* §. *domum. ff. de iniur. & fam. lib.* Farinac. *frag. cri-
min. part.* 1. *num.* 215. *litt. D.* & Praxis noua Epiſc. *num.* 222.
Steph. Grat. *diſcept. forenſ. cap.* 181. *num.* 4. & 5. quos ſe-
quitur Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 4. *num.* 29. Et
ratio eſt: quia non ſimplex habitatio, & bonorum emptio;
ſed habitatio ſimul cum animo perpetuò commorandi, do-
micilium, & incolatum facit, d. l. *libertus.* §. 5. *ſola ratio poſſeſ-
ſionis.* & §. 13. *ſola domus. ff. ad municip.* & *ibi* Bart. d. l. *cùm
neque. C. eodem.* & fusè Crauet. *conſil.* 201. *num.* 10. vnde ad
conſtituendum domicilium requiritur, vnà cum habita-
tione, animus, ſiue declaratio expreſſa voluntatis ibi per-
petuò reſidendi.

38 Probatur ampliùs: quia peregrini, ſiue aduenæ, non ſortiuntur forum loci, ad quem diuertunt, niſi per domicilium perpetuæ moræ; neque etiam efficiuntur diœceſani ad hoc, vt iuribus, & conſuetudinibus diœceſanis ſubiiciantur: quamobrem, ſi quis, dum ſingulis annis per maiorem anni partem ruri, vel animi gratia, vel vt ſua ibi peragerct negotia, reſideret, & illic ab inteſtato decederet; corpus illius ſepeliendum eſſet in Eccleſia parochiali ciuitatis, vbi perpetuum habebat domicilium, dum viueret; non autem in parœcia ruris, vbi debitum naturæ perſoluit: quod ſanè ex pluribus probatur capitulis in iure canonico, & præcipuè ex cap. *animarum.* cap. *cùm quis.* & d. cap. *is, qui. de ſepult. lib.* 6. cap. vlt. *de for. compet.* cap. *à nobis. el.* 1. *de ſent. excom.* Gloſ. in cap *quæ contra. diſt.* 8. *in verb. Nec aut peregrini.* Speculator rubr. *de conſt. num.* 7. Molina *de iuſt. & iur. tract.* 2. *diſp.* 214. *verſicul. quando quis.* Archid. in cap. *illa ſuper. verb. ſerua, diſt.* 12. vbi expreſsè tradunt, ſolos perpetuò habitantes obligari legibus ciuitatis. Et idem tenere videtur Turrecremata cum Vgone in cap. *quo iure. §. dignitate. diſt.* 8. *art.* 4. *n.* 8. A B

39 Præterea Epiſcopus iuramenta, & vota aduenarum in ſua diœceſi perpetuum domicilium non habentium commutare non poteſt, neque eiſdem Ordines conferre ſine ſui Epiſcopi facultate; nec ad Sacramenta voluntaria (exceptis Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramentis in Paſchate, quatenus eſt præceptum Eccleſiæ vniuerſale) recipienda eoſdem compellere, neque minùs nullam prorſus in illos iuriſdictionem exercere poteſt, etiamſi eſſent ſcholares, & illic per multos annos vitam duxiſſent, d. l. 2. *de incol. lib.* 10. & cap. *dilectus. el* 2. *de reſcrip.* & Gloſ. *ibi verſic. domicilium*, cap. *in noſtra. de ſepult.* cap. *cùm nullus. de temp. ordin. lib.* 6. & Gloſ. *ibid. in verb. Domicilium.* Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 36. *num.* 18. apud quem idem ſentiunt Angelus, Tabiena, & Sylueſter *in verbo, domicilium.* Item Soar. *de religion. tract. de voto, lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 11. C

Et

A Et ratio eſt, vt inquit Panor. in d. cap. *nullus.de paroch.* quia, ſicut Epiſcopus Ordines extraneis in ſua diœceſi reſidentibus conferre nequit, maximè cùm Ordo ſit voluntariæ iuriſdictionis; ita multò minùs iuriſdictionem contentioſam in eoſdem exercere poterit. Igitur ſolùm tenentur iuribus diœceſanis, qui habent firmum, & perpetuum domicilium, & ratione illius domicilij efficiuntur diœceſani: ſecùs autem eſt de habentibus ſolam, & nudam habitationem ſine habitu. Ita eruditè Bart. in l. *aſſumptio. §. Iuriſprudentibus. num.* 2. *&* 11. Rebuff. *tom.* 3. *ad leg. Galliæ, in tract. de domicilij elect. in præfat. num.* 9. Menoch. *de arbitr. iud. caſu* 86.
B *num.* 6. & *lib.* 6. *de præſump. præſump.* 42. *num.* 2. Maſcard. *de probat. concl.* 535. *num.* 13. Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 181. *num.* 10. *cum ſequent.* D. Didacus de Brito *in conſil. in cauſa maioratus Regiæ Coronæ, quæſt.* 3. *à num.* 1. D. Martinus *in votis nouiſſimarum deciſ. voto* 5. ſubtiliſſimè Farinac. *fragm. crimin. parte* 1. *littera D, num.* 208. Gutier. *in tract. de gabell. quæſt.* 114. *num.* 7. Rota Romana *in Granatea Capellaniæ*, 1. *Decemb.* 1606. *coram Eminent. Cardinali Marquemontio, impreſſa per* Farinac. *deciſ.* 188. *num.* 1. *&* 2. *part.* 2. *recent.* vbi aſſerit, domicilium tantùm probari ex animo habitandi, & perpetuò manendi. Hos citat, & ſequitur Barboſa *de off. & poteſt.*
C *Epiſc. allegat.* 4. *num.* 23. Molpheſius *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. Coninch *diſp.* 20. *dub.* 9. *ad fin.* ita etiam Quaranta *verb. Ordo, verſic. circa tertium. pag.* 373. apud Bonac. *de Sacr. Ordin. diſp.* 8. *quæſt. vnica, punct.* 4. *num.* 11. *&* 12.

Ex ſupradictis quantùm ſatis, & ſtabilitis colligitur, aduenas, peregrinos, hoſpites, extraneos; & ſimiles, ad quencunque locum confluentes, & ibidem per multos annos reſidentes, cum animo tamen ad patriam ſuam redeundi, minimè ligari legibus, præceptis, & conſuetudinibus illius loci; & , ſecluſo ſcandalo, non teneri ad ieiunia, abſtinentias, feſta colenda, Miſſamque audiendam, ad quæ vel vi legis, vel conſuetudinis, illius loci aſtringuntur ciues, atque 40

omnes ibi perpetuum habentes domicilium : & hoc ex defectu domicilij ; quia per ſolam moram non contrahitur domicilium , licèt longa ſit mora , vt iam fuſiùs probatum eſt, *iuribus ſuprà allatis.* A

41 Hinc fit, quòd familiares Realis Celſitudinis Sabaudiæ, dum Camberij moram trahunt, quanuis ibi eſſent (vt ita dicam) ad longiſſimum tempus; ſuppoſita tamen in illis continua ad patriam reuertendi voluntate , ſecluſóque ſcandalo ; ad ieiunia, abſtinentias , feſta ſanctificanda, Miſſamque audiendam , & ad alias quaſcunque obligationes, quas vel vi ſtatuti, aut conſuetudinis, ſiue præcepti, ſiue voti ciuitatis, etiam de conſenſu , aut de mandato Diœceſani ſuſceptas, omnes ciues, & ibi domicilium habentes perpetuum, integrè obſeruare aſtringuntur ; nullo iure teneantur. Quare triduanam illam ab eſu carnium abſtinentiam ante Dominicæ Aſcenſionis diem , quæ ſanè ibi ratione inueteratæ conſuetudinis ſingulis annis inuiolabiliter à ciuibus obſeruatur , aduenæ, vtpote exempti, & immunes ( remoto itidem ſcandalo ) ſeruare non obligantur , *iuribus , & rationibus ſuprà allatis.* B

42 De origine porrò , ſeu inſtitutione huiuſce triduanæ abſtinentiæ cum ieiunio , ante Dominicæ Aſcenſionis diem, ſciendum eſt , quòd anno reparationis noſtræ circiter 452. ſub Pontificatu S. Leonis Papæ Maximi , Pontificatus eius anno decimotertio ; imperantibus verò Valentiniano, & Marcione, vt proditur ex Breuiario Chronicorum Adonis, Archiepiſcopi Viennenſis, inſerto *in Hiſtoria Chriſtiana, ætate 6. verſ. Marcianus, & Valentinianus. pagina mihi* 499. Viennæ vrbis Galliæ prodigia quammaxima , & horribilia, domeſticæque ſpeciei infeſtiſſima viſa ſunt , quæ præcipuè cum ingenti hominum clade in dies inualeſcebant : nam templa non modica , domúſque permultæ crebris concutiebantur terræmotibus , nocturni quidam ſonitus totius vrbis funeri prodigioſum quiddam,ac ferale minantes portendebant. C

A tendebant. Ad hæc lupi, vrſi, atque cerui natura pauidi, tali, tantáque per vrbem oberrabant rabie, vt mortales ferè omnes obuiam occurrentes dilaniarent, atque de medio miſerabiliter tollerent. Imò ( quod & caput eſt, & mirabile dictu ) ipſamet glorioſa vigiliarum nocte ſacroſanctæ Reſurrectionis Dominicæ, dum à S. Mamerto ea tempeſtate Viennæ Antiſtite Miſſarum ſolennia, provt annua poſcebat conſuetudo, celebrarentur, Regales ædes in eadem vrbe ſitæ igne cæleſti repentè ſuccenſæ funditùs euerſæ remanſerunt. Iámque propè aderat Aſcenſionis Domini toto Orbe venerabile feſtum, cùm graueſcentibus magis, ac B magis in dies huiuſmodi immanitatibus, aliiſque flagellis, ad noua celer veterum Niniuitarum exempla accurrens vir Dei Mamertus, cinere conſperſus, cilicio indutus, oratione, atque ieiunio benè munitus, pro tanti flagelli liberatione, ad iuſtam Numinis vltionem placandam, ad Altiſſimum confugere non deſtitit, quam & obtinuit. Conuocatis itaque eo tempore Suffraganeis Epiſcopis, Religioſorúmque totius Cleri Primatibus, congregationem habuit, in qua percelebres Litanias, quæ & Rogationes poſteà appellatæ ſunt, cum ieiunio, cibíſque quadrageſimalibus indixit, atque inſtituit, ſeu veriùs, iam antiquatas reſtaurauít, C indéque ad meliorem, ac ad ſui integram obſeruantiæ formam reduxit. Hoc nanque modo S. Mamertum ad huiuſmodi obſeruantiam eas perduxiſſe, ſingulari teſtimonio teſtantur probatiſſimi, ac fideliſſimi Authores omni exceptione maiores, & præcipuè Burchardus *lib.* 13. *cap.* 17. ex Concilio Aurelianenſi *cap.* 6. hiſce verbis: *Cùm exigentibus Galliarum peccatis populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniri poſſet, congregati traduntur Galliarum Epiſcopi apud Viennam vrbem, atque in commune ſtatuerunt, vt triduanum ieiunium facerent. Cúmque Dominus peſtem miſerabiliter abſtuliſſet, ij dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Aſcenſionis*

*Domini diem celebrarentur.* Hæc ille. Cui valdè etiam conſentanea ſcribit Gregorius Turonenſis Epiſcopus *lib. 2. Hiſtoriarum Francorum Regum, prope finem*, hunc in modum: *Magnæ facundiæ Beatus Auitus refert in quadam homilia, quam de Rogationibus ſcripſit, has ipſas Rogationes, quas ante Aſcenſionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipſius Viennæ vrbis Epiſcopo, cui & hîc eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe, dum vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræmotu frequenti quatiebatur: ſed & ceruorum, atque luporum feritas portas ingreſſa totam, vt ſcripſit, vrbem nihil metuens oberrabat. Cúmque hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paſchalis ſolennitatis diebus, expectabat miſericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ ſolennitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipſa glorioſæ noctis vigilia, dum Miſſarum celebrarentur ſolennia, ſubitò Palatium Regale intramuraneum diuino igne ſuccenditur. Pauore omnibus perterritis, & Eccleſiam egreſſis, credentibus, ne, aut hoc incendio vrbs tota conſumeretur, aut certè diſrupta tellure dehiſceret: Sanctus Sacerdos proſtratus ante altare cum gemitu, & lacrymis, Domini miſericordiam imprecatur. Quid plura? Penetrauit excelſa poli oratio Pontificis inclyti, extinxítque domus incendium flumen profluentium lacrymarum. Cúmque hæc agerentur, appropinquante Aſcenſione, vt iam diximus, Maieſtatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, oſtendit orandi modum, edendi ſeriem, erogandi hilarem diſpenſationem. Ceſſantibus quoque exinde terroribus, per cunctas prouincias diſperſa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit in fide. Quæ vſque nunc in Chriſti nomine per omnes Eccleſias in compunctione cordis, & contritione ſpiritus celebrantur.* Hactenus Gregorius Turonenſis. Ex Adonio autem *ſuprà* citato *in Chronicis, ætate 6.* hæc habentur: *Imminente ſolennitate vigiliarum, qua celebrari feſtum Dominicæ Reſurrectionis annua conſuetudo poſcebat,* &c. Et prope finem: *Deſperatione depoſita reditur ad Eccleſiam, in eáque vigiliarum nocte ſancti Paſchæ concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus definiuit, quidquid hodie pſalmis, ac precibus mundus*

A

B

C

A *dus inclamat.* Hæc ille. Harum Rogationum meminit etiam
Beatus Alcimus, Viennenſis Epiſcopus, ( ſucceſſor He-
ſychij, quem præceſſit S. Mamertus, ) *in homilia de inſtitu-
tione Rogationum, in Bibliotheca Patrum inſerta, tom. 7. lib. 6. poſt
cap. carminum 24. immediatè poſita.* De eiſdem Cæſarius, Epi-
ſcopus Arelatenſis, *homilia* 33. hæc habet verba: *Tribus iſtis
diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Eccleſia, nullus ſe à
ſancto Conuentu ſubducat*, &c. Teſtantur etiam de Rogatio-
nibus Canon 29. Concilij I. Aurelianenſis, & cap. *Rogationes.
de conſecrat. 3. diſtinct.* Iterum Gregorius Turonenſis Epi-
ſcopus *in Hiſtor. Reg. Franc. præcitat. lib. 9. cap. 6. litt. G*, & idem
B *in geſtis Reg. Franc. cap. 6. in fin.* Carolus Mag. *de ritib. eccleſ.*
& *in Capitular. Francor. lib. 5. cap.* 85. Baronius *tom. 6. Annal.
anno Chriſti* 475. *num.* 13. *& ſequent.* & in Martyrolog. Rom.
11. *Maij.* Durandus *in Rational. de diuino Officio, lib. 6. cap.* 102.
*num.* 4. Alciat. *lib. 9. peregr. cap.* 11. Couar. *lib. 4. var. cap.* 20.
*num.* 15.

Quòd autem hæ triduanæ Rogationes multò antè inſti- 43
tutæ fuerint, optimo, ſingularique teſtantur teſtimonio,
illuſtriſſimi, fidéque digniſſimi Authores, & præſertim ce-
lebris ille Patriarcha D. Auguſtinus *ſerm.* 173. *de tempore,
in vigilia Aſcenſionis Domini, tom.* 10. *pagina mihi* 33. *edit. Lo-*
C *uanien.* his verbis: *Scire debemus, & intelligere, Fratres chariſ-
ſimi, quia dies compunctionis, & pænitentiæ celebramus*, &c.
Circa finem verò hæc habet verba: *Nullus ſibi de induſtria
aliquas occupationes inquirat, per quas ſe de Eccleſiæ Conuentu ſub-
ducat. Sine dubio peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis
tribus diebus ieiunando, orando, & pſallendo medicamenta ſibi
ſpiritualia non inquirit*, &c. Quibus ſanè eundem de ſacris
Rogationibus ſermonem habere, atque S. Mamertum
præceſſiſſe, penitùs dubitandum non eſt. Prætereà de eiſ-
dem ex quadam epiſtola Sidonij Apollinaris ad eundem
S. Mamertum ſcripta, *lib. 7. quæ eſt* 1. *epiſtolarum*; &
etiam ex altera epiſtola ad Aprum, *quæ eſt* 14. *lib.* 5. pro-
ditur.

ditur. Vbi inter alia de priſtina Litaniarum obſeruatione, A
iam negligentia torpeſcente, illum admonet. *Erant enim,* inquit, *quidem priùs* (*quod ſalua pace fidei dictum ſit*) *vagæ, tepentes, infrequentéſque, vtq; ſic dixerim, oſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſemper interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, ad quas, vt nihil ampliùs dicam, figulo pariter, & hortulano non oportuit conuenire*, &c. Hæc Sidonius. Ex quibus profectò teſtimoniis tam fide dignis manifeſtè apparet, S. Mamertum non tam inſtituiſſe, quàm & reſtauraſſe, atque in meliorem ſacras Rogationes reduxiſſe formam. Teſtatur etiam Concilium Moguntiacum *can.* 34. hiſce verbis: *Placuit nobis, vt Litania maior obſeruanda ſit à cunctis Chriſtianis* B
*diebus tribus, ſicut legendo reperimus: & ſicut ſancti Patres noſtri inſtituerunt*, &c. relatum à Duranto *de ritibus catholicæ Eccleſiæ, lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 10. De iſtis etiam ſcripſerunt Aimonius *in Hiſtoria Francor. Reg. lib.* 1. *cap.* 15. Gaguinus *de geſtis Francor.* in vita Clodouei, ea tempeſtate Franciæ Regis. Annonius *de geſtis Francorum, lib.* 1. *cap.* 25. Gaulterius *in Chronograph. ſæculo quinto*, & alij quamplurimi, qui de hac ſcripſerunt materia.

44 Frigeſcente autem Chriſti fidelium charitate, atque erga Deum religione, paulatim hoc ieiunium moribus ſublatum eſt, & ſolùm hiſce tribus diebus ab eſu carnium ali- C
quibus in locis abſtinetur; ſecundùm tamen cuiuſque prouinciæ conſuetudinem, in qua talis abſtinentia introducta eſt; & ibi ab incolis tantùm, non autem à forenſibus (dempto tamen ſcandalo) obſeruanda eſt, prout nos ſufficienter *ſuprà* probauimus.

45 Confirmatúrque etiam ex cap. *illa. diſt.* 12. & Gloſ. *ibi in verbo, Veneris.* & l. vnica, in fin. *C. de mulier. lib.* 10. *tit.* 62. l. fin. *C. de incol. lib.* 10. & Gloſ. in d. cap. *illa.* vbi D. Auguſt. inquit, *quòd liberum eſt Sabbatho ieiunare, quantùm ad extraneos; non autem quantùm ad ciues.* Felin. in cap. *in præſentia. num.* 32. *de probat.* Hoſtien. in d. cap. *illa. ſuper verb. ſerua.* & *ibi* Dominic.

A minic.*in fin.* Alexand.*ibi.* Præpoſit. *ibid. in verb.nota quòd peregrinus.* Speculator. *Rubric. de conſtit. num.* 6. Ioan. Andreas *in addition. ad Speculat. tit. de inſtit. edit.*§. *compendiosè.num.* 16. *in verb. quæſitum.* Archid. referens Hoſtienſ. *vbi ſuprà.* Turrecremata *ibi, verſic. liberas.* & cap. *quo iure.* §. *dignitate. diſt.* 8. *art.* 4. *num.* 8. cum Vgone *ibi* per ipſum allegato. Geminianus in cap. *quæ contra.* Roſella *verb. ieiunium, num.* 16. & *ibi* Sylueſt. *quæſt.* 2. *num.* 1. *&* 2. & *verb. domicilium, per tot.* Barboſa *de off. & poteſt. Epiſc. vbi ſup. num.* 22. *vſque ad* 26. Ex Theolog. idem benè, & doctè affirmant D. Antoninus 2. *part. tit.* 6. *cap.* 2. §. *ſecundo.* Palud. 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 4 *num.* 24.
B Ioan. Medin. *C. de ieiun. quæſt. quando neceſſe eſt ieiunare. in princip.* Barthol. Medin. *part.* 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. Margarit. Confeſſ. *quæſt. moral. fol.* 165. *col.* 2. §. *vtrum teneamur.* Palac. 4. *diſt.* 15. *diſput.* 8. *poſt concluſ.* 6. *fol.* 126. *verſic. At verò.* Angles *floribus, part.* 1. *quæſt.* 4. *de ieiun. ante dub.* 1. *difficul.* 2. *fol.* 386. Vega *lib.* 2. *Sum. caſu* 315. Reginald. *lib.* 13. *num.* 71. quos citat, & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 18. *num.* 6. *cum ſequent.* Idem volunt Lopez *lib.* 32. *tit.* 2. *part.* 3. Ledeſma 2. *part. quæſt.* 17. *art.* 3. *fol.* 204. *col.* 1 §. *tertiò dico.* Granad. *de leg. num.* 25. *fol.* 250. Hurtad. *de ſacrif. diſp.* 5. *diſt.* 1. Lorca *lib.* 2. *tract.* 4. *diſp.* 25. *in fin. tract. de leg.* Vil-
C lalob. *tom.* 1. *Summ. tract.* 2. *diſp.* 33. *num.* 8. Baſil. de Leon *lib.* 5. *de matrim. cap.* 7. *num.* 52. quos citat, & ſubtiliſſimis rationibus ſequitur Ioan. Sanchez *in ſelect. diſp.* 54. *num.* 31. à quibus adducitur S. Leo IX. *in epiſt. aduersùs præſumptiones Michaëlis Conſtantinopolitani, & Leonis Arcidani Epiſcoporum, cap.* 29. vbi monet, vt vnuſquiſque iuxta Eccleſiæ ſuæ ritum celebret, licèt in alieno ſolo verſetur. Cui ſententiæ ſubſcribunt etiam Ægidius Coninch *part.* 3. *tom.* 1. *quæſt.* 74. *dub.* 2. Diana *tract.* 9. *reſolut.* 2. *de ieiun.* Bonacin. *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 6. *num.* 36. & *de Sacram. Ordin. diſp.* 8. *quæſt. vnica, puncto* 4. *num.* 10. Laymanus *de leg. cap.* 12. *num.* 4. Et Fagundez *de Præcep. Eccleſ.* 1. *Præcep. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 9. vocat

H hanc

hanc ſententiam probabilem. Iterum Sanchez *in Sum. lib.* A
1. *cap.* 12. *num.* 8. & *in Opuſcul. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 19. vbi aſſerit, legatum relictum naturalibus alicuius oppidi non poſſe dari his, qui ibi habitarunt, etiam per decennium, dummodo non habuerint animum ibi perpetuò reſidendi: & Azor. *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 19. *quæſt.* 4. Sayr. *in Clau. Regia, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 5 *num. vlt.* Auila *de cenſ. part.* 2. *cap.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 3. *concluſ.* 3. & doctiſſimè Pater Theophilus Raynaudus *in ſuo Opuſc. de Monitor. part.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 9. iterum Syluest. *verb. ieiunium, quæſt.* 2. *num.* 1. Layman *in Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. & iterum Diana *in tract.* 5. *miſcellan. reſol.* 73. vbi docent, peregrinos B
non ligari cenſuris locorum generali ſententia, aut ſtatuto decreti: quod etiam conſtat ex d. cap. *à nobis el* 1. *extrà, de ſent. excom.*

46 Ad hæc, ſi aduenæ non adimplent prædictas leges, & conſuetudines locorum, in quibus reperiuntur, non ligabuntur cenſuris contra violatores illarum legum, ſeu ſtatutorum, vel conſuetudinum impoſitis: & hoc locum habet, non ſolùm ſi cenſuræ latæ ſint per leges, & ſtatuta; verùm etiam per præceptum, ſeu hominis ſententiam, licèt generalem: nam præceptum, ſeu hominis ſententia directè cadit in perſonas ſubditas duntaxat, vt earum contu- C
maciam coërceat, atque puniat; ſiue ſubditæ ſint tunc temporis, quo fertur ſententia; ſiue poſteà per perpetui domicilij acquiſitionem ſubditæ fiant: ſententia enim ab homine pro futuro delicto lata durat etiam pro tempore futuro, quandiu Superior viuit, vel in officio perſeuerat: ad exteros autem, quatenus ipſi non ſunt ſubditi, non extenditur; quia non intercedit titulus aliquis, quo ſubditi fiant; delictum enim non facit ſubditum quoad talem cenſuram incurrendam, maximè cùm delictum ſupponat ſtatuti obligationem; atque ſubiectionem, quæ in extraneis minimè reperitur. d. cap. *à nobis.*
*de*

A *de ſent. excom.* Gloſ. & Abb. *ibidem*, atque DD. alij innu-
meri. Quam ſententiam ſubtiliſſimis rationibus, opti-
míſque fundamentis mordicùs tuetur Couar. in cap. *Al-
ma mater. part.* 1. §. 10. *num.* 2. eruditè Suarez *in tom.* 5.
*de cenſur. diſp.* 5. *ſect.* 5. *num.* 9. & 10. Vgolin. *cap.* 9. §. 2.
*num.* 4. exemplum hoc adſtruens, cùm inquit: *Infelix
caſus non conſideratur.* arg. l. *inter ſtipulantem.* 83. §. *Sacram.
ff. de verb. oblig.* & alij, quos breuitatis cauſa omitto.

Cùm autem aduenæ non ſint ſubditi, ſequitur, eos, 47
qui ad aliquem diuertunt locum abſque animo ibi per-
petuò conſtituendi domicilium, non teneri ad obſeruan-
B das leges, & conſuetudines, aut præcepta eius loci; &
conſequenter non incurrere cenſuras contra tranſgreſſo-
res latas; ſiue cenſuræ ſint latæ per leges, & ſtatuta; ſiue
per hominis ſententiam, provt expreſsè, & ſingulariter
hābetur ex d. cap. *à nobis.* el 1. *extra*, *de ſent. excom.* Couar.
*ſup. loc. citat.* Ita etiam eleganter P. Raynaud. Auil. Bonac.
*loc. præcit.* & nouiſſimè Layman. *in Theolog. morali, lib.* 1.
*tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Coninch *de Sacrament. diſp.*
13. *dub.* 7. *concluſ.* 5. *num.* 60. qui benè vrget contra Ba-
ſilium Pont. *de matrim. lib.* 5. *cap.* 7. §. 2. *num.* 19. affirmans,
quòd ſi excommunicatio eſſet vibrata contra eos, qui
C ſciunt aliquod furtum, ſeu delictum eſſe commiſſum,
non ligaret forenſes, etiamſi laxata eſſet contra non re-
uelantes.

## PARAGRAPHVS V.

### De obſeruatione legis communis ab aduenis, & forenſibus vbique degentibus.

### SVMMARIVM.

1 *Aduenæ tenentur legibus, & conſuetudinibus, quæ ſunt de iure communi, vbicunque reperiantur.*
2. *Diſcedens à loco priuilegiato, alibi priuilegio loci vti non poteſt.*
3. *Diſcedentes ad breue tempus non habentur pro præſentibus.*
4. *Neque fauet priuilegiato quoad locum, regula illa:* Non videtur abeſſe, qui ad breue eſt reuerſurus.
5. *Accedens ad locum priuilegiatum, priuilegio loci vti poteſt.*
6. *Declaratur dictum illud*: Si Romæ fueris, Romano viuito more: ſi fueris alibi, viuito ſicut ibi.
7. *Notanda in ſcandalo paſſiuo.*
8. *Scandalum puſillorum, quale.*
9. *Leges locales non aſtringunt aduenas.*
10. *Declaratur axioma illud*: Qui ſentit commodum, ſentire debet & onus.
11. *Aduenæ à legibus, & conſuetudinibus municipalibus non eximuntur, quoties earum effectus dat formam contractibus.*
12. *Aduenæ formam, & ſolennitates in contractibus requiſitas, vbi celebrantur contractus, ſeruare tenentur.*
13. *Contractus abſolutè initus, cenſetur celebratus iuxta loci conſuetudines, & ſtatuta.*
14. *Contractus non ſolùm cenſetur celebratus iuxta loci conſuetudines, & ſtatuta per venditionem, & emptionem; ſed*

*ſed etiam per epiſtolam initus, quanuis vitio laboret.*

15. *Forenſes in contractibus pragmaticam ſeruare aſtringuntur.*

16. *Forenſes ratione contractus tenentur ad gabellas.*

17. *Aduenæ, & forenſes in conficiendo teſtamento tenentur ad ſolennitates teſtamenti eius loci, in quo teſtari volunt.*

18. *Alienigenæ ligantur legibus, & conſuetudinibus loci, quando legis tranſgreſſio cedit in damnum Reipublicæ.*

19. *Aduenæ ſubiiciuntur legibus municipalibus ratione rei ſitæ.*

20. *Infideles forenſes ſubiiciuntur legibus municipalibus, ſicuti & Chriſti fideles.*

21. *Forenſes ratione contractus dotis non ſubiiciuntur legibus, & conſuetudinibus localibus.*

A ET quanuis aduenæ, ſiue extranei, legibus, & conſuetudinibus alicuius loci particularibus obligentur, niſi ſolùm ratione domicilij naturalis, ſiue accidentalis, ſiue legalis, aut perpetuæ moræ, provt *ſuprà* ſolidè, & ſufficienter probauimus; veruntamen cum communiori DD. vtriúſque claſſis, tum antiquorum, tum etiam recentiorum ſententia dicendum eſt, eoſdem (licèt contra nonnullos) à legibus, necnon conſuetudinibus, quæ ſunt de iure communi, atque in loco, per quem ipſi tranſeunt, ſiue ad quem confluunt, etiamſi ſine animo ibidem domicilium conſtituendi ad illum ac- 1
B cedant, nullo prorſus modo eximi, quanuis per deſuetudinem ſint abrogatæ eò loci, à quo recedunt. Ita Abb. in cap. *conſilium, de obſeruat. ieiun.* & Gloſ. in cap. *illa.* 12. *diſt.* Doctéque hoc defendunt Soar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de diebus feſtis, cap.* 14. *num.* 28. & 29. Medin. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *ad fin. dub. penult.* Rodriquez *in expoſit. Bullæ, ad fin.* Salas *de leg. diſp.* 14. *ſect.* 4. *ad fin.* Bonac. *de leg. quæſt.* 1. *puncto* 6. *num.* 55. & 56. Item, Sanchez *in Præcep. Decalogi, lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. retractans quod dixerat *de matr. lib.* 10. *diſp.* 18. *num.* 7. Et ratio eſt: quia ius commune, quatenus eſt indictum ab

Eccleſia vniuerſali, quæ in omnes Chriſti fideles illos obligandi in tota Romana Eccleſia iuriſdictionem habet, omnes & ſingulos vbique exiſtentes tangit; exceptis tamen iis locis, in quibus contraria conſuetudine abrogatum eſt: atqui priuilegium particulare, ſiue conſuetudo alicuius loci, quatenus eſt introducta à particularibus vnius loci, ſiue tali loco conceſſum eſt priuilegium, ſolos particulares illius loci, & ad eum accedentes reſpicit: ergo ius commune obligat vniuerſos ſub tota Romana Eccleſia vbilibet militantes, excepto eo loco, in quo introductum non eſt, vel per contrariam conſuetudinem abrogatum reperitur. Tum, quia ratio differentiæ inter hoc ius commune, & particulares loci tranſitus leges eſt, quòd ad obligandum neceſſariò exigitur iuriſdictio, ſiue poteſtas: hæc autem non acquiritur ſpeciali legiſlatori in tranſeuntes, aut ſolam habitationem in ſua ditione habentes; & ideò hos ſuis ſpecialibus legibus ligare non poteſt. At verò inducens ius commune in vniuerſos iuriſdictionem habet, vt *ſuprà*, in principio huiuſce noſtræ quæſtionis diximus: igitur omnes, & ſingulos vbicunque degentes obligat, niſi aliqua ratione legitima excuſentur, & quatenus excuſatio illa, quòd in ſuo loco vſu abrogatum ſit tale ius commune, ideò ſolùm liberat eo in loco, in quo talis vſus viget; extra autem illum, quatenus non adeſt hæc cauſa excuſans, ſemper obligat. Tum etiam, quia conſuetudo ius commune abrogans eſt odioſa: nam, quæ ſunt contra ius commune, appellantur odium iuris, l. *quod verò contra ius.ff.de legib.Senatúſque conſult.* l. 2. §. *fin.ff. de priuil. creditor.* l. *quod Principi placuit. in fin. ff.de conſtit. Princip.* reg. 58. *quæ à iure communi.de regulis iuris, lib. 6.* & conſequenter ſtrictè interpretanda, iuxta regulam iuris 15. lib. 6. *Odia reſtringi, fauores autem conuenit ampliari.* & cap. *is, qui.in fin. de fil. Presbyt. lib. 6.* Cùm ergo tantùm in eo loco ſit talis conſuetudo, & ſolùm ibidem excuſet, non eſt extendenda, vt ſit quaſi priuilegium perſonale, quod per-

A ſonam quocunque proficiſcentem ſequitur; ſed potiùs reſtringenda, vt ſit priuilegium merè locale; & certo loco alligatum, ſiue affixum, quod extra ipſum non ſuffragatur.

Hinc fit, quòd ſi Mediolanenſis diſcedat Mediolano, 2
vbi ius commune quatuor illis diebus Cinerum, quoad ieiunium, & abſtinentiam ab eſu carnium, & lacticiniorum, per contrariam conſuetudinem, ſiue per priuilegium abrogatum eſt; & accedat Vercellas, vbi obligat omninò; certum eſt, quòd non eximitur à tali iure communi ſub pœna peccati mortalis. Simili modo, Caſtellanis, per Luſitaniam B tranſeuntibus, inteſtinis animalium die Sabbathi veſci, ſub eadem pœna minimè licebit. Eodem etiam modo Pariſienſibus ad alia loca confluentibus illis quadraginta diebus Purificationis Almæ Matris Redemptoris noſtri, in cuius honorem ex priuilegio Pariſienſibus conceſſum eſt, carnes edere in die Sabbathi cuiuſlibet hebdomadæ, durantibus illis quadraginta diebus, ſine lethali culpa; carnibus veſci, minimè fas erit. Ita Medin. *vbi ſup. loc. citat. dub. penult.* qui ait, peregrinos non teneri legibus ciuitatis, ad quam declinant; teneri tamen legibus communibus. Quam ſententiam etiam amplectuntur Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa*, *cap.* 25. C *num.* 2. *in comment. litt. S.* & Manuel *ſuper Bullam Cruciatam*, §. 1. *num.* 8. *ad fin.* qui aiunt, falſum eſſe aſſerere, licere Caſtellano tranſeunti per Luſitaniam, vbi non comeduntur inteſtina in die Sabbathi, illis veſci, iuxta Caſtellæ morem. Item Sayr. *in Claui Reg. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. copiosè probans. Idem tenet Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *ſup. cit. num.* 27. *&* 28. Felin. in cap. *quòd Clericis. de for. compet.* & Cardinal. in Clement. *Dignum. de celeb. Miſſ. quæſ.* 5. Nauar. *cap.* 23. *num.* 120. Idem dicit, Caſtellanum comedentem animalium extremitates in die Sabbathi, dum per Luſitaniam, vel Nauarram vagatur, vbi mos Caſtellæ non eſt receptus, peccare mortaliter.

Nullum

3 Nullum etiam locum habebit, ſi dicas, exeuntes ad bre- A
ue tempus haberi, fictione iuris, tanquàm præſentes: quia fictio iuris non extenditur vltra caſus in iure expreſſos, vt communiter tradunt DD. in cap. *præſentia.* & multi alij, quos refert, & ſequitur Gutier. *qq. canon lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 56. apud Sanchez *loc. præcit.* Obligatio autem, vel excuſatio non in fictione, ſed in veritate fundanda eſt. Ita Suar. *vbi ſup.* Tum, quia, ſi hæc præſentiæ fictio non ſat eſt, vt iſti cenſeantur præſentes in ſuo domicilio, vt localibus illis legibus teneantur; cur ſat erit, vt priuilegiis localibus gaudeant? Neque minùs proderit dicere, hoc eſſe fauorem; illud verò odium: quia, cùm per hoc fiat reductio ad ius B
commune, eſt potius fauorabile, extendendúmque, ſicut lex correctoria, quæ valdè odioſa eſſe ſolet, eſt quidem fauorabilis, & extendenda, quando per eam ad ius commune reditur. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matr. diſp.* 12. *num.* 2. Igitur fictio iuris in hoc non ſuffragatur abſentibus.

4 Neque noſtræ ſententiæ aduerſatur, quod habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de refor.* quòd ex ſententia veterum Canonum non videtur abeſſe, qui breui eſt reuerſurus; & idcircò Epiſcopus, ſiue Curatus, non cenſetur abeſſe à reſidentia, quando ad illam reuerſurus eſt intra duos menſes; vbi ſtatutum eſt: & ex iure communi, l. *poſtlimi-* C
*nium.* 19. §. *poſt liminio. ff. de cap. & poſtlim.* cenſetur quis poſtliminio rediiſſe, quando iam intrauit in fines patriæ; quia, videlicet, breui ad illam peruenturus eſt, & modica abſentia reputatur quaſi præſentia. Ex quo inferri poſſe videtur, quòd etiam ille, qui breui rediturus eſt, v. g. Mediolanum, poſſit reputari, quaſi continuò ibi manſiſſe, & vti præſens, & minimè abſens, & ſic ſolutus à iure communi obligante ad abſtinentiam eſus carnium, & lacticiniorum illis quatuor diebus Cinerum extra locum priuilegiatum. Verùm omninò contrarium ſanè amplectendum eſt: quia, vt benè animaduertit Fel. in cap. *quoniam frequenter. num.* 9.

*vt*

A *vt lit. non conteſt.* & Gloſ. in l. *abſentem.* 199. *ff. de verb. ſign.*
ſecundùm diuerſam materiam diuerſimodè ſumitur nomen præſentiæ, & nomen abſentiæ; neque aſſignari poteſt
vna doctrina communis pro omnibus. Et quando agitur, v. g. de ſtipulatione, quæ ſolùm dicit poſſe contrahi inter
præſentes; ille tantùm dicitur præſens, qui vocem alterius audire poteſt. §. *item verborum. inſt. de inutil. ſtipulat.* & quando tractatur de præſcriptione inter præſentes, ille dicitur
præſens, qui eſt in eadem prouincia, l. fin. *C. de præſcrip. long. temp.* & ſic de ſimilibus. Quare, quidquid ſit de abſentia,
ſiue præſentia pro aliis rebus; tamen quoad legum obliga-
B tionem, & priuilegiorum participationem accipi debet in ordine ad fines territorij. Quapropter, quatenus illud priuilegium, ſiue conſuetudo, cadit ſuper locum, & non ſuper
perſonas; ideò extra locum minimè prodeſt: & ſic ſiue is, qui parum Mediolano abeſt, & breui illuc rediturus dici
poſſit, quoad reſidentiam, & quoad alia præſens ibi, ſiue non; minimè tamen cenſendus erit abſolutè præſens quoad
legum obligationem, aut ſolutionem; & per conſequens tenetur communi lege ieiunium, & abſtinentiam ſeruare,
quoties abeſt à loco, vbi talis lex communis per contrariam conſuetudinem abrogata eſt; & reperitur, vbi ius com-
C mune ſuum retinet vigorem. E conuerſo autem, ſi Vercellenſis quatuor illis Cinerum diebus Mediolanum ſe recipe- 5
ret, vbi ex priuilegio, ſiue ex conſuetudine, vt iam diximus, hiſce diebus lacticinia, & carnes comeduntur, ibique
illis vteretur, accommodando ſe ciuibus; nullum prorſus committeret peccatum: & ſi de induſtria illuc ſe transferret propter carnium eſum, tantùm veniale committeret
peccatum, ratione, ſcilicet, libidinis carnes edendi. Et ratio eſt: quia, quatenus priuilegium illud loco inhæret,
ideò omnibus ſuffragatur in illo degentibus, licèt ad horam tantùm: & per conſequens in hoc caſu locum habet
dictum illud: *Si Romæ fueris, Romano viuito more*, &c. Simili

modo, ſi Valeſianus circa Quinquageſimam veteris Calendarij Auguſtam proficiſceretur, vbi Quadrageſima maiori ſui parte peracta ſit, poſſet liberè ſe incolis Auguſtanis accommodare, & in Paſchate carnibus veſci: & è contrà, ſi Auguſtanus, expleto quadrageſimalis ieiunij tempore, in Valeſiam ſe conferret, vbi Quadrageſima paulò antè cœpta ſit, non teneretur ſe incolis Valeſianis conformare; ſed ſecluſo ſcandalo in Paſchate, ſecundùm nouum Calendarium Romanum, lacticiniis, atque carnibus ſine vlla prorſus culpa liberè veſci poſſet. In hoc igitur caſu cedit dictum illud: *Si Romæ fueris, Romano viuito more*, &c. quam doctrinam ſufficientibus rationibus, eruditiſſimíſque fundamentis paſſim ſequuntur omnes DD. & præcipuè Paul. Layman. Thom. Sanch. Filliucius *tract. de præcep. ieiun. tract. 27. part. 2. cap. 6. num.* 107. & alij omnes præcit. A B

6 Dices, contrà eſſe S. Ambroſium apud S. Auguſt. *epiſt.* 118. & refertur in cap. *illa. diſt.* 12. *Cùm Romam venio Sabbatho, ieiuno; cùm Mediolani ſum, non ieiuno*: & D. Auguſtinum *epiſt.* 119. *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 18. quæ refertur in cap. *quæ contra. diſt.* 8. & *lib.* 3. *de doctrina Chriſti, cap.* 12. ex quo deductum eſt illud Axioma:

*Si Romæ fueris, Romano viuito more:*
*Si fueris alibi, viuito ſicut ibi.* C

Item, ex eodem D. Auguſt. *lib.* 3. *Confeſſ. vbi ſup.* in d. cap. *quæ contra.* 8. *diſt.* dicente, *vitanda eſſe flagitia, quæ ſunt contra mores hominum*: & ſubdit: *Vt pactum inter ſe ciuitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla eius, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim eſt pars ſuo vniuerſo non congruens, ne oriatur ſcandalum.* Hæc ille. Cui ſufficientem præberent anſam peregrini, ſi publicè, non admonitis adſtantibus, cibis in eo oppido vetitis vterentur, cùm non omnes norint eos peregrinos eſſe; nec, qui id norunt, ſciant oppoſitam ſuæ patriæ conſuetudinem, vel poſſe illi conformari. Reſpondetur, quoad priorem partem, D. Ambroſium, & D. Auguſtinum

A guſtinum conſilium afferre, non autem præceptum. Quoad ſecundam verò partem, eos loqui de Romanis incolis tantùm, vt habetur ex cap. *vtinam. diſtinct.* 76. vel loqui de peregrinis, ſiue de iis, qui gratia conſtituendi eò loci domicilium acceſſerunt; vel denique de legibus, & conſuetudinibus communibus; non autem loqui de propriis alicuius loci, vt habetur ex Gloſ. in d. cap. *illa*. Quoad poſteriorem verò partem, nimirum, ratione ſcandali; reſpondetur, nullum oriri poſſe ſcandalum ex obiecto non prohibito, niſi fortè ſcandalum Phariſæorum, quod euitare nemo tenetur; aut ſcandalum puſillorum; & hoc dicitur ſcandalum

B paſſiuum, ſeu acceptum ſine ſufficienti cauſa, & indicio; & ſic à Doctoribus vocatur ſcandalum infirmitatis, ſiue ignorantiæ.

Duo autem notanda ſunt in ſcandalo paſſiuo: vnum, quatenus oritur ex malitia eorum, qui ſcandalizantur; & hoc adſcribi poteſt Iudæis, ſeu Phariſæis, eò quòd Phariſæi, & Iudæi eorum malitia ex operibus Chriſti ſcandalizabantur, quod ſanè Chriſtus docuit non curare. Et probatur ex verbis illis Matth. *cap.* 5. *verſ.* 13. & 14. vbi, cùm ſcandalizabantur Phariſæi de Chriſti doctrina, & hoc ad Chriſtum relatum fuiſſet; quia hoc eorum ſcandalum erat, ex malitia, 7

C Chriſtus illos contempſit, & ne quidem minimùm à ſua doctrina, & operibus deſtitit; ſed dixit: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite iſtos: cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Ideò hoc ſcandalum contemnendum eſt; & ſcandalizari non debent incolæ ex peregrinorum operibus, quando legibus ſuis peregrinos minimè teneri, illis conſtat.

Alterum, quatenus oritur ex infirmitate, vel ignorantia: & hoc communi vocabulo dicitur ſcandalum puſillorum, quo ſcandalo ſæpè ſcandalizabatur rudis populus ex operibus Chriſti, vt habetur ex eod. D. Matth. c. 18. ex eo, quòd aliqui ignorant, opera quædam licita eſſe, quæ tamen 8

ſunt licita. Igitur, ſi quod fortè accepturi eſſent incolæ ſcandallum, id facilè ab eiſdem auferri poſſe, dubitandum non eſt; nimirum, aut operando, aut vtendo huiuſmodi cibis ſecretò, vel aperiendo eiſdem veritatem facti, ex quo non obligantur; & ſic non obſtant contraria, & conſequenter nihil vrgent contra noſtram ſententiam. A

9 Dices ſecundò: Leges cuiuſque territorij locales ſunt, quæ immediatè locum afficiunt, indéque in perſonas ibi exiſtentes tranſeunt: ergo etiam afficiunt extraneos & aduenas ibi commorantes. Reſpondetur, leges illas locales eſſe, locúmque afficere, indéque omnes domicilium habentes perpetuum attingere; non autem aduenas, & peregrinos nudam habitationem, ſine domicilio perpetuo habentes, ſicuti probatum eſt *ſuprà*. B

10 Dices tertiò: Qui ſentit commodum, ſentire debet & onus, *ex reg. iuris 55. lib. 6.* aduenæ autem, dum à ſua patria abſunt, eximuntur à legibus, & conſuetudinibus patriis: ergo opus eſt, eos legibus, & conſuetudine alterius loci ligari. Reſpondetur, regulam illam locum habere tantùm, quando onus ex propria inſtitutione connexum eſt commodo, provt contingit in eccleſiaſticis beneficiis, *cap. ſignificatum. extrà, de præbend.* in inſtitutione hæredum, *l. filium. ff. de legat. præſt. l. licèt Imperator. ff. de legat. 1. l. ſi Titio, & Mæuio. §. Iulian.* & *l. cùm pater. § ab inſtituto. ff. de legat. 2.* & in ſimilibus, non autem quando onus, & commodum ſeparabilia ſunt. Quapropter, licèt aduenæ in iis, quæ ad pœnas, odia, oneráque pertinent, non obligentur conſuetudine, & legibus loci, ad quem confluunt; poſſunt tamen iis gaudere, & vti, quæ fauorem, gratiam, & honorem continent; ratione, ſcilicet, moræ, quandiu in tali loco commorantur: ſicut Nouitij Religionis gaudent priuilegiis Ordinis, & Familiæ, quamuis non ligentur ſtatutis illius, ex communi DD. ſententia, & inter alios Azorij, ac Sancij, & aliorum, quos ſuo loco *ſuprà* citauimus. C

Veruntamen

A Veruntamen ex recenſita noſtra doctrina, tum iuribus, tum etiam rationibus, atque ſufficientibus corroborata fundamentis, quæ quidem, quanuis firmiſſima, atque veriſſima ſit, & in praxi pluſquàm tuta; nonnullæ tamen deducuntur limitationes, quibus alienigenæ, & extranei ab obſeruatione legum, conſuetudinúmve municipalium minimè vindicantur. Quapropter, licèt ipſi ex vi directiua, & coactiua, ſublato ſcandalo, illis non ſubiiciantur legibus, iuxta diſertas probationes à nobis *ſuprà* allatas; non eximuntur tamen ab earum obligatione, quoties ipſarum legum effectus dat formam iudiciis, contractibus, & aliis B ſimilibus actionibus, atque irritum, & inane aliter factum reddit: tunc enim vis legis extenditur intra territorium, etiam ad non ſubditos, & quoad hoc ab omnibus omni tempore eſt adimplenda lex in ſuo territorio, & ſecundùm eius diſpoſitionem de actu iudicandum. Ita Bart. in l. *cunctos populos. num.* 14. *&* 16. *C. de Summa Trinitate.* Iaſon *ibid. num.* 59. vbi inquit, quòd ſi ſtatuto huius ciuitatis caueatur, quòd contractus celebrati per minorem viginti annorum, non valeant, niſi interueniat conſenſus duorum propinquorum, & authoritas Iudicis; ſi forenſis minor hîc contrahat, tenetur ſeruare formam iſtius ſtatuti. Ita ille. Fe- C lin. *in cap. de ſponſ. num.* 2. *&* 23. & optimè Panormitanus 2. *part. conſil. num.* 52. Tiraquel. *de primog. quæſt.* 46. *num.* 9. *&* 48. qui permultos Expoſitores citat, & ſequitur, & alij Interpretes in d. l. *cunctos.* item Baſilius Pontius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 2. §. 2. *num.* 21.

Limitatur igitur primò, prædictam noſtram ſententiam 12 nullum habere locum in contractuum legibus: quia forenſes, & aduenæ tenentur ſeruare formam, & ſolennitates in contractibus requiſitas, ac perinde legibus, necnon conſuetudinibus eius loci, in quo contrahunt, arctantur: ratione enim contractus quilibet ſortitur forum loci, in quo contrahitur, cap. fin. *de foro compet.* & l. *ſi fundus. ff. de euict.*

in qua legitur: *Si fundus venierit ex conſuetudine eius regionis, in qua negotium geſtum eſt, pro euictione caueri oportet.* & l. 2. *C. quemadm. teſt.* Bart. in d. l. *cunctos populos. num.* 14. *C. eod.* & in l. *de quibus. num.* 27. *ff. de leg.* Abb. *in cap.* 1. *de ſponſal. num.* 10. Archidiac. *in cap. fin. de conſt. lib.* 6. *num.* 7. *oppoſ.* 7. Hoſtienſ. *de foro compet. num.* 5. & nouiſſimè Bellonus, vir præſtantiſſimi ingenij, & in Pedemontium Senatu Præſes primarius *in ſuis conſil. conſil.* 74. *num.* 89. *&* 90. A

13 Hinc fit, quòd contractus abſolutè initus cenſetur celebratus iuxta conſuetudines, & loci ſtatuta, in quo contrahitur. l. *quòd ſi nolit.* 31. §. *quia aſſidua. ff. de ædil. edict.* & optimè probat Bart. in l. *nemo eſt. num.* 5. *ff. de duob. reis.* Panormitanus in cap. *cùm M. num.* 5. *de conſt.* Syluest. *verb. contractus, quæſt.* 8. Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſput.* 260. *initio.* Et ratio eſt: quia contractus ſemper ſequitur conſuetudines, & ſtatuta loci, in quo celebratur. Iaſ. *in* 2. *lect. num.* 56. Cyn. *lib.* 1. *de Summa Trinitate.* Innocent. *rub. de conſuet. num.* 6. *&* 7. Præpoſit. in cap. *quæ contra.* 8. *diſt.* Salas *de leg. quæſt.* 96. *tract.* 14. *diſp.* 14. *ſect.* 4. *num.* 52. *litt. B.* B

14 Ampliatur hoc, & extenditur, non ſolùm ad venditionem, & emptionem realem; ſed etiam per epiſtolam, aut per nuncium contractas. Ita Felin. in d. cap. 1. *de ſponſ. verſ. ſed aduerte.* & hoc etiam extenditur ad contractum vitio laborantem, quia adhuc cenſetur celebratus ſecundùm leges populi, in quo initus eſt; non autem vbi ratus habitus. Ita Gregorius Lopez *lib.* 32. *verſ. en quella tierra.* C

15 Limitatur ſecundò, aduenas non excuſari à pragmatica in contractibus: quia forenſes vendentes, v. g. triticum, ſeu quaſlibet alias merces, vbi adeſt pragmatica pro tali venditione, eam ſeruare tenentur; quia pretium eſt pars contractus: tum, quia quilibet pretium loci venditionis iuſtum ſeruare aſtringitur. Ita Medina *C. de reſt. quæſt.* 36. §. *Dubitaret aliquis. & verſ. quod inde. litt. C, & D.* Et hoc ampliatur, atque extenditur, etiam ad Clericos. Et ratio

eſt:

A eſt : quia non minorem vim habet ad determinandum pretium iuſtum rerum venalium publica authoritas, & inſtitutio, quàm communis populi conſuetudo, & curſus : ſed, ſi Clerici ſuas vendere merces velint, tenentur ſeruare pretium per communem populi conſuetudinem obſeruatum, etiamſi eius populi non ſubiiciantur legibus : imò, quanuis Imperialibus legibus, ſeu laïcorum Principum minimè ſubdantur, ſicut laïci ; legi tamen naturali, & diuinæ ſubiiciuntur : lex autem naturalis, & diuina indiſtinctè loquuntur, ac omnibus, & ſingulis, nemine excepto, præcipiunt, ne quis plùs iuſto vendat, ſiue Clerici, ſiue laïci ſint, ac
B perinde ex quo publica authoritate pretium alicuius mercis iuſtè, vt ſuppono, taxatum eſt, ſequitur, Clericos teneri ſtare pragmaticæ, ſicut & laïcos, non vi ſæcularis legis, ſed diuinæ, & naturalis. Ita Alphonſus à Caſtro *lib. 1. de poteſt. leg. pæn. cap. vlt. ante fin.* Panormit. in cap. *Eccleſiæ Sanctæ Mariæ. num.* 13. *verſ. circa hoc tamen. de conſt.* Sot. *lib.* 1. *de iuſt. & iure, quæſt.* 6. *art.* 7. *concluſ.* 1. *in fin.* & 4. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 2. *conſil.* 4. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *punct.* 4. Bellarmin. *tom.* 2. *Controuerſ. tract. de Cleric. lib.* 1. *cap.* 28. *conſil.* 2. Emman. Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 196. *concluſ.* 1. Syluest. *verb. lex, quæſt.* 15. Angel. à Clauaſio *eod. num.* 5. *circa med.*
C Confirmatur : quia eſſet magna perturbatio, & confuſio in republica, ſi Clerici leges ciuiles iuſtas in venditionibus, locationibus, & ſimilibus contractibus ciuilibus, & humanis non ſeruarent. Hinc S. Chryſoſtomus in illud Rom. 13. ſuprà cit. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* docet, Chriſti Euangelio non tolli politicas leges ; & ideò debere Sacerdotes, & Monachos eis parere.

Limitatur tertiò, forenſes, & aduenas teneri ad gabellas, ratione contractus illius loci, in quo contrahunt : quia gabellæ ſunt onus conſecutiuum contractus. Ita Bald. in l. 1. *num.* 3. & 4. *C. de contrah. empt.* Iaſ. in l. *cunctos populos. num.* 18. *C. de Summa Trinitate.* Bertachin. *in Repert. in verb.* 16

gabella

*gabella per quos ſoluatur.* S. Thomas *in Opuſc. num.* 21. *in epiſtola ad Duciſſam Brabantiæ.* Caietan. *verb. vectigal.* Med. *eod. de vect. quæſt.* 15. §. *verùm cùm in hu. verſ. per hæc patet.* Syluest. *verb. gabella*, 3. *quæſt.* 5. Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 27. *num.* 10. A

17 Limitatur quartò, præfatam noſtram doctrinam non ſuffragari forenſibus in ſolennitatibus teſtamenti: quia, quoties extraneus, ſeu forenſis, de ſua vltima voluntate diſponere vult, tenetur ſeruare formam per leges, & conſuetudines præſcriptam eius loci, in quo ſuum teſtamentum ordinare deſiderat: exempli gratia, ſi Gallus in vltima ſua voluntate Taurini de ſuis diſponeret bonis, formam, atque ſolennitates eiuſdem ciuitatis præſcriptas in ſuo teſtamento omnimodè ſeruare teneretur. Ita Bart. in l. *de quibus. num.* 27. *&* 29. *ff. de leg.* & l. 1. *num.* 24. *C. de Summa Trinitate.* Baldus in l. 1. *num.* 3. *C. de contrah. empt.* Anthonius Gomez *num.* 20. Molina *tomo* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 127. & doctiſſimè probat Bart. *vbi ſuprà loc. cit.* quia ſolennitas actus pertinet ad territorium, vbi actus fit. l. 3. *in fin. de teſt.* l. 2. *C. quemadm. teſtam. aper.* Hinc fit, quòd ſi forma illa non ſeruata teſtamentum ſit irritum; ex vi eiuſdem legis, etiam ab extraneo factum erit nullum, & nullius ponderis. Et ratio eſt: quia ſtatutum illud eſt regula talis actus quoad vim obligandi, non ratione ſubiectionis; ſed, quatenus inhæret loco, etiam ibi obligat ad ſeruandam operandi formam, quam præſcribit: tum etiam, quia illi actus, qui certam formam, & ſolennitatem requirunt, ſine adminiculo iuris nullum habent valorem. l. *legitima.* 6. *ff. de pact.* tunc enim ius non concurrit; ſed potiùs reſiſtit: ergo, &c.

18 Limitatur quintò, ſupradictam quæſtionem à nobis agitatam ſuam amittere vim, quando legis tranſgreſſio cedit in damnum Reipublicæ, & loci, in quo moram trahunt aduenæ, v. g. ſi adſint leges aliquæ aliquid extra territorium extrahi prohibentes, vel ne viatores niſi tot diebus ibi commorentur; in bonum tamen commune eius loci; vel ne noctu arma deferantur, & ſimilia: tunc enim etiam extranei,

A tranei, & forenſes ibi omnia illa ſeruare tenentur, quamuis legibus eius loci non ſubdantur. Ita Bart. *loc. cit.* in d. l. *cunctos populos. C. eodem, num.* 25. & *ibi* Baldus *num.* 22. Abbas in cap. *à nobis. el* 1. *de ſententia excommunicationis, num.* 7. *&* 9. & *ibidem* Hoſtienſis, & Præpoſitus: vt etiam in cap. *quæ contra.* 8. *distinct. columnn.* 2. *in medio*, & Syluester, & alij communiter quamplurimi Expoſitores, tam in iure Cæſareo, quàm Pontificio. Et probatur ex eo: quia ius ipſum naturæ dictat, bonum commune alicuius loci impediendum non eſſe, ſiue quis in illo ſubditus ſit, ſiue non. Quocirca aduenæ tenentur non extrahere mer-
B ces, aut frumenta ex loco, vbi moram trahunt, contra illius leges; aut in illo non commorari vltra certum tempus, à lege præſcriptum.

Limitatur ſextò, aduenas, & exteros legibus municipalibus ſubditos eſſe, ratione, ſcilicet, rei ſitæ; ideò tenentur ſoluere tributa, & onera rebus impoſita, reſpectu rerum in tali territorio exiſtentium; ſuppoſita tamen tributi iuſtitia: lex enim municipalis realis rebus ipſis inhæret, à quocunque poſſideantur, ſiue à ciue, ſiue ab extraneo, per l. *reſcripto.* 6. §. *fin.* & l. *munerum.* 18. §. 29. *ff. de muneribus, & honoribus.* & l. *an in totum. C. de ædificiis pri-* 19
C *uatis.* & quamplurimos alios, quos enumerat, & amplectitur Tiraquell. *ſuprà* citatus *quæſt.* 46. *num.* 4. Item, etiam ab illis legibus non eximuntur peregrini, ratione, ſcilicet, actionis, quæ in tali loco habitationis fit: idémque dicendum eſt de iudiciis: quia agenda ſunt iuxta formam, atque præſcriptum per leges loci, in quo fiunt. Quare forenſis litigans illis legibus ſe accommodare debet: ſecùs autem nihil efficiet validum, ſi per leges irritum ſit, quando leges ſunt iuſtæ; neque aliquid particulare, aut vitioſum in ſe continent: ſecùs autem ſi iniuſtæ eſſent. l. 1. & 2. *C. vbi in rem act. exerc. deb.* l. *ſi prædium. C. de præd. minor.* & cap. *ex parte. de reſcript.* Ho-

 ſtienſis

ſtienſis *de foro compèt. num.* 5. Tiraquell. *de iure primogen. quæſt.* 48. *num.* 7. *& quæſt.* 49. *num.* 9. A

20 Ampliantur prædictæ limitationes: quia non tantùm ad exteros Chriſti fideles; verùm etiam ad infideles illas extendi poſſe fateor. Quapropter, quanuis infideles leges ieiuniorum, aut feſtorum dierum, quæ ſolùm in vnitate fidei, atque religionis fundantur, ſeruare non arctentur; ſubduntur tamen legibus ciuilibus, quæ ſolùm reſpiciunt bonam adminiſtrationem ciuilem, & naturalem: maximè cùm huius ſint benè capaces, etiam infideles. Hinc fit, quòd ſi inter Iudæos aliquod conficiatur inſtrumentum, ſolennitas ſtatuti, & conſuetudo eius loci, B in quo conficitur, ab eis omninò ſeruari debet. Ita Bartolus in l. *ſi quis ex argentariis. column.* 4. *verſic. primo. ff. de eden.* An. *in proœmio Decretalium, columna* 2. *verſic. ſed nunquid vitiatur.* & in cap. *inter dilectos. columna* 4. *verſic. & an ſi conficiatur. extrà, de fide instrument.* Item, in teſtamentis Iudæorum, vt, ſcilicet, formam, & ſolennitates conſuetudinis loci in eis ſeruare debeant. Ita Laur. Roder. in cap. *conſuluit. verſ.* 146. *de vſuris.* Domin. in cap. 1. §. *vlt. tit. eod. lib.* 6. & in cap. *ius Quiritium.* 6. *diſtinct.* Barbat. *conſil.* 63. *lib.* 4. vbi eleganter conſuluit, adulterium Iudæi iudicandum eſſe pœna ſtatuti eius loci, in quo commoratur. C Hinc eſt, quòd ſi Taurini ſub aliqua pœna ſtatuto cautum eſſet, ne quis noctu arma deferret prohibita, aut ſine lumine incederet, ſi, exempli gratia, Iudæus aliquis, quanuis ex alia Vniuerſitate, nimirum, Mutinæ, ſiue Caſalis, ortum duxiſſet, & Taurini ſolùm per tranſitum, negotiationis gratia, aut alia conſimili de cauſa commoraretur; noctu tamen cum huiuſmodi armis, vel ſine lumine à Iuſtitiæ Miniſtris deprehenderetur, eum pœna ſtatuti plectendum fore, dubitandum non eſt. Sic etiam Marianus Socinus *conſil.* 62. *lib.* 1. & *conſil.* 70. *verſic. in præſenti conſultatione. colum.* 1. iunctis his, quæ ſcribit *in capite eiuſdem conſilij, eiuſdem libri* 1. & doctiſſimè docent

Paulus

A Paulus à Caſtro *conſil.* 23. *verſic. quia de defectibus*, *lib.* 2. Alexander *conſil.* 3. *in cauſa, & lite. lib.* 2. & *conſil.* 71. *eodem lib.* 2. & *conſil.* 161. incipien. *Examinatis per totum. eodem lib.* 2. dum cauſas quorundam Iudæorum definitionibus iuris communis, & ſtatutorum locorum, in quibus commorabantur, definiunt; & quamplures alij per Tiraquell. relati, *de iure primogen. quæſt.* 66. *num.* 12. & 19. *cum ſequentibus.* Et ratio eſt: quia, quemadmodum tenentur etiam aduenæ, & exteri legibus, & conſuetudinibus loci, ad quem diuertunt, nimirum, quando illarum tranſgreſſio ſpecialiter cedit in damnum illius loci, vt diximus
B *ſuprà*: ita etiam omnes, & ſinguli, nemine excepto, dummodo vſus rationis capaces ſint, illas ſeruare tenentur, licèt infideles ſint. Salas *vbi ſuprà*, *num.* 43.

Vnicus autem contractus ex ſupradictis limitationibus 21
tantùm deducitur, nimirum, contractus dotis: & de hoc expreſsè habetur ex l. *exigere. ff. de iudic.* in qua ſic legitur: *Exigere dotem illic mulier debet, vbi maritus habuit domicilium, non vbi inſtrumentum dotale ſcriptum eſt.* Cui contractui id ſingulare, & peculiare eſt, vt non attendatur ſtatutum loci, vbi contractus celebratur; ſed quidem loci, in quo vir domicilium habet: verbi gratia,
C ſi Caius ex ciuitate Taurini, vbi ex ſtatuti diſpoſitione ad maritum ſuperſtitem dimidium dotis deuenit, Bertam ſibi in vxorem aſſumeret Bugellæ, vbi ex ſtatuto habetur, vt quartam (ni fallor) tantùm dotis partem, ſequuta vxoris morte, maritus lucretur, & Taurini, vbi firmum domicilium habet Caius, Berta ſine ſucceſſione præſentem peregrinationem cum Cælo commutaret, licèt matrimonij contractus celebratus ſit, vbi ſtatutum, ſeu conſuetudo aliter diſponit; cum dimidietatem dotis ſibi acquirere certiſſimum eſt. Ita Bartolus in d. l. *cunctos populos. C. eodem*, *num.* 17. Iaſ. *ibidem*, *num.* 60. Simanchas cum multis aliis *in Inſtit. tit.* 9. *num.* 142. & *duo-*

*bus ſequentibus.* Abbas *in cap.* 1. *num.* 10. *de ſponſal.* Et A praxis quotidiana pro mille teſtibus habetur. Et ratio eſt: quia vxor ſemper ſequitur ſui mariti domicilium. l. fin. §. *idem reſcripſerunt. ff. ad municipium.* Et confirmatur ratione: quia animi deſtinatione coniugum videtur matrimonium contractum in domicilio mariti, ad quod etiam mulier per conditionem matrimonij eſt reditura, argumento cap. *Romana.* §. *contrahentes. de foro compet. lib.* 6. & l. 1. *contraxiſſe. ff. de act. & oblig.* Quare, ſi conſuetudo, ſeu ſtatutum domicilij mariti diſponat, quòd ad maritum ſuprauiuentem dimidium dotis perueniat; omninò ſeruabitur ibi illa: quanuis, vbi contractum fuerit matrimonium, aliàs conſtet, vel ſtatutum aliter diſponat, *iuribus ſuprà relatis.*

## *Finis Diſquiſitionis primæ.*




DE

# DE POTESTATE LEGIS MVNICIPALIS IN INDIGENAS,

## *DISQVISITIO ALTERA.*

*An ciues patria extorres legibus patriis aſtringantur.*

HACTENVS exteros, ſiue forenſes, legibus, ſtatutis, & conſuetudinibus municipalibus loci, ad quem confluunt, minimè obligari, ſolidè, & ſufficienter probauimus: modò verò operæpretium duximus, nos videre, atque diligenter examinare, num ſubditi, & indigenæ huiuſmodi legibus, conſuetudinibus, & ſtatutis extra ſuam patriam arctari poſſint.

# PARAGRAPHVS VNICVS.

## Proponitur, quidnam valeant ſtatutum, & conſuetudo municipalis circa ſubditos, extra territorium, etiam delinquentes.

### SVMMARIVM.

1. *Ad ſubiiciendum iuribus duo requiruntur, ſubiectio, ſcilicet, & poteſtas.*
*Poteſtas localis, tam eccleſiaſtica, quàm ſæcularis, eſt circunſcripta territorij finibus.*
2. *Nullus à ſuo non Iudice neque ligari, neque abſolui poteſt.*
3. *Nullus Iudex in aliena iuriſdictione ſuam iuriſdictionem exercere poteſt.*
4. *Subditi extra territorij limites delinquentes pœnis, & inobedientia ſtatuti minimè afficiuntur.*
5. *Familiares ſuæ Realis Celſitudinis Camberij degentes, quamuis ibi eſſent per mille annos, legibus, præceptis, & ſtatutis territorij Taurinenſis minimè obligantur, dum à patria abſuerint.*
6. *Subiectio habitualis, ſeu radicalis, non eſt ſufficiens ad obligandum ſubditos extra territorium.*
7. *Indigenæ, quamuis tempore, quo adimplenda eſt lex, ſiue præceptum, exeant à loco originis, ſeu domicilij; extra domicilij limites legibus, & præceptis eiuſdem loci non ligantur.*
8. *Indigenæ, quamuis de induſtria, & cauſa vitandi præceptum ex domicilio ſuo diſcedant, & ad locum, vbi tale præceptum non obſeruatur, ſe conferant; ad huiuſmodi præceptum minimè tenentur.*
9. *Si Vercellenſis, cauſa vitandi ieiunium in vigilia ſancti Euſebij,*

*bij, quod in tota Vercellenſi diœceſi eſt de præcepto, Nouariam ſe reciperet; ibidem ad ieiunium tali die minimè teneretur.*

10. *Qui ex ſuo oppido, ſiue paræcia, vbi obſeruatur feſtum, diſcedit; & ad aliud oppidum, ſeu paræciam, vbi tale non obſeruatur feſtum, ſe recipit; ibi ſeruilibus vacando, non peccat.*

11. *Refellitur ſententia aſſerentium, differentiam eſſe inter ſtatutum, ſententiam generalem, & præceptum, ad hoc, vt ſubditi extra territorium delinquentes pœna per præceptum, aut ſententiam generalem lata ligentur.*

12. *Clericus delinquens extra diœceſim, non ligatur pœna ſtatuti, aut præcepti ab Epiſcopo impoſita.*

13. *Statutum non operatur in loco exempto.*

14. *Exemptio extenditur etiam ad Monaſteria Religioſorum.*

15. *Refellitur ſententia aſſerentium, exemptionem reſtringendam eſſe ad locum exemptum, in quo Prælatus iuriſdictionem epiſcopalem, ſeu quaſi, ſolùm ex forma priuilegij habet.*

16. *Subditi extra territorium per ſolam ſubiectionem radicalem non arctantur legibus patriæ.*

17. *Subditi, licèt extra territorium legibus ſuæ patriæ non aſtringantur; non debent tamen aſtringi legibus loci, vbi repeṛiuntur.*

18. *Subditi, extra territorium, in omni voluntariæ iuriſdictionis caſu, legibus loci, vbi degunt, ſubiiciuntur.*

19. *Indigenæ extra territorium delinquentes, circa rem in territorio exiſtentem ligantur ſtatuto ſuæ patriæ.*

20. *Reiicitur ſententia dicentium, peccatum ad incurrendam cenſuram contra non reſidentes laxatam inchoari in territorio reſidentiæ.*

21. *Delinquens ratione delicti quoad alias pœnas, præter cenſuram, ſortitur forum, & vbi incipitur, & vbi conſummatur delictum.*

22. *In ordine ad cenſuram non incurritur cenſuræ pœna, donec delictum plenè conſummatum fuerit.*

23. *Ratione extractionis alicuius rei, cuius extractio ſub aliqua*

*pœna*

pœna prohibita eſt, ad incurrendam pœnam, peccatum dicitur conſummari in territorio.

24. Incurritur cenſura propter vulnus mortiferum alicui inflictum in territorio, vbi homicidium ſub cenſura prohibitum eſt, licet mors alibi ſequatur, vbi non eſt ſub cenſura prohibitum.

25. Homicida ante vulnerati mortem moriens non incidit in cenſuram contra homicidium latam.

26. Eccleſia in animas exiſtentes in Purgatorio nullam poteſtatem habet, neque directè, neque indirectè, quoad vibrandam in eas excommunicationem.

27. Facinoroſos ratione delicti in vita commiſſi, cui erat annexa cenſura, poſt mortem in illam incurriſſe, ab Eccleſia declarari poteſt: ſi nulla tamen annexa erat, ſuffragiis Eccleſiæ, & ſepultura in loco ſacro priuari poſſunt.

28. Quidam Victor, propter tranſgreſſionem cuiuſdam decreti eccleſiaſtici, poſt mortem ſuffragiis Eccleſiæ, & ſepultura in loco ſacro priuatus fuit.

29. Qua de cauſa inſtitutæ ſint Miſſæ triginta S. Gregorij pro defunctis.

30. S. Ioannes Gualbertus poſt mortem quendam Fratrem anathematizauit.

31. Differentia inter excommunicationem, & anathema.

32. Eccleſia in ſuis ſententiis, & decretis, ſemper vtitur verbo anathematis poſt verbum excommunicationis.

33. Excommunicationis actus, niſi à Iudice competenti, in ſubditos exerceri non poteſt.

34. Mortui ab Eccleſia anathematizari, non autem excommunicari poſſunt.

35. Conſuetudo recitandi ad Altare nomina Epiſcoporum defunctorum, extabat priſcis temporibus.

36. Defuncti ab excommunicatione, in qua mortui ſunt, ab Eccleſia directè abſolui minimè poſſunt.

37. Eccleſia in vltionem, propter delicta in vita commiſſa, animas priuare poteſt ſuffragiis, & oblationibus.

38 Ad

38. *Ad incurrendam cenſuram delicto impoſitam non attenditur territorium, vbi effectus delicti extrinſecè ſequitur; ſed territorium, vbi intrinſecùs delicti effectus conſummatur.*

39. *Subditi exiſtentes extra territorium ligantur pœna ſtatuti, quoties ſtatutum in proprio territorio cauſam originare intendit.*

40. *Subditus extra territorium aliquando ligatur cenſura, etiam comminatoria, ratione delicti in territorio perpetrati.*

41. *Subditi extra territorium ſubiiciuntur legibus municipalibus propter delictum in territorio perpetratum, quamuis domicilium aliò tranſtulerint.*

42. *Subditi pœna ſtatuti, etiam extra territorium, à ſuo Prælato puniri poſſunt, ratione criminis notorij.*

A PRo huius Diſquiſitionis faciliori intelligentia 1 reſpondeo, & dico primò, ad hoc, vt quis iuriſdictioni ſubiiciatur alicui, duo ſingulariter, & neceſſariò requiri, (provt *ſuprà* ſatis diffusè oſtendimus;) nimirum, ſubiectio, & poteſtas: omnis enim obligatio ex hac authoritate oritur: quia lex, vt aiunt, Ariſtot. *lib.* 10. Ethic. *cap. vlt.* & latè D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 3. *ad ſecund.* Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de poteſt. leg. pœn. cap.* 1. *poſt med. verſ. Poſtquam. littera E*, vim coactiuam habet, & efficaciter ad opus inducentem habere debet: ſed B poteſtas ſtatuentis, proprij territorij limitibus arctatur: igitur ſtatuta extra territorium ſubditos non tangunt. Maior eſt certa: minor verò probatur: quia omnis iuriſdictio municipalis, tam eccleſiaſtica, quàm ſæcularis, non eſt abſoluta, ſed quidem à iure limitata: quapropter in tantum operatur, in quantum conceditur: ſed poteſtas, v. g. Superioris eccleſiaſtici à iure Pontificio, cap *Regula.* §. *Porrò.* cap. *Epiſcoporum.* 18. *diſt.* cap. *ſi quis. de maior. & obed.* cap. *placuit.* 12 *quæſt.* 2. cap. *ius ciuile.* 1. *diſt.* cap. *quoniam quidem.* & cap. fin. 8. *diſt.* & ſæcularis alicuius ciuitatis, ſeu oppidi, à iure Cæ-

ſareo, vt habetur in Inſt. in l. 1. §. *huius ſtudij.* & l. *omnes populi.* 9. *ff. de iuſt. & iur.* §. *ius autem ciuile. verſ. Nam, quod quiſque populus.* §. *ſed, & quod Principi placuit.* Inſt. *de iur. nat. gent. & ciuil.* non tantùm quoad perſonas; verùm etiam quoad locum; certis finibus eiſdem præſcribitur, vt expreſsè etiam, & ſingulariter habetur ex decreto Bonifacij Papæ VIII. in cap. *vt animarum. in fin.* vbi ſic legitur: *Quòd extra territorium ius dicenti non pareatur impunè.* quæ verba deſumpta ſunt ex l. fin. *ff. de iuriſd. omn. Iud.* Ergo huiuſmodi poteſtas vltra fines iuriſdictioni præſcriptos operari minimè poteſt. Et ratio omnibus dilucidè patet: quia lex pœnalis, quatenus in ſe continet vim coërcitiuam, eſt odioſa, ac perinde reſtringenda, iuxta Regulam iuris illam 15. iam citatam: *Odia reſtringi, fauores autem conuenit ampliari.* Confirmatur: quia ſtatutum contra ius commune diſponens ſemper ſtrictè interpretandum eſt, licèt ſuperſit identitas rationis: Bart. expreſsè in l. *ſi verò.* §. *de viro. ff. ſol. mat.* Item, quæ iure ſpeciali conceduntur, ſtrictè intelliguntur, vt not. in l. *mulieri, & Titio. ff. de condit. & demonſt.* & benè facit, quod not. Gloſ. in cap. *ſi ſuper gratia. de off. delegat. lib. 6.* & quod notatur in l. *eius militis. ff. de teſt. milit.* Angel. *conſ.* 210. *num.* 3. Tum, quia defectu poteſtatis (vt aiunt Philoſophi) extra ſphæram non fit actio. Concludo, poteſtatem municipalem, tam eccleſiaſticam, quàm laïcalem, extra ſui territorij fines nullum ſortiri effectum: ergo, &c.

2 Dico ſecundò, ex eodem iure Pontificio nullum à ſuo non Iudice, neque ligari, neque minùs abſolui poſſe. cap. *ad audientiam. de conſt. lib. 6.* cap. *at ſi Clerici. in princip. extrà, de iud.* cap. *quod autem. de pœnit. & remiſſ.* Simili modo ex iure Cæſareo, l. 1. & l. fin. *C. ſi à non comp. Iud.* l. 1. *C. de ped. Iud. l. extra, & de iuriſd. omn. Iud.* l. 1. *C. de for. comp.* l. *nulli ſtatuendi.* 10. *C. de ſent. & inter.* l. *ſi frater tuus.* 7. *C. de ſtat. defunct.* l. *placet.* 3. *C. de pedan. Iud.* l. *ſicut proponis.* 6. *C. de excuſ. rei Iud.* Ergo, cùm Superiores, tam eccleſiaſtici, quàm ſæculares,

A lares, indigenarum in aliena iuriſdictione exiſtentium non ſint Iudices competentes, neceſſariò ſequitur, ab illis neque ligari, aut puniri, neque minùs abſolui poſſe. Confirmatur: quia directè nemo tenetur legibus eius, qui in ipſum nullam habet iuriſdictionem, ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 5. Iuriſdictio enim ſine coërcitione inutilis eſt, l. fin. *ff. de off. eius, cui mand. eſt iuriſd.*

Dico tertiò, nullum prorſus Iudicem ſuam iuriſdictionem in alieno territorio exercere poſſe, ex Clement. 1. *de for. comp.* cap. *placuit. el* 2. 7. *quæſt.* 1. cap. *Epiſcopum. cum duobus ſeqq.* 9. *quæſt.* 2. *cap. fin. de conſt. lib.* 6. & l. 1. §. *initio.* & l. *fin.* 3
B *ff. de off. Præfect.* in qua hæc habentur: *Præfectus vrbi, cùm terminos vrbis exierit, poteſtatem non habet.* Quod certè, & de aliis Magiſtratibus extra ſuam iuriſdictionem quoque intelligendum eſt. Quare, ſicut Præſes Prouinciæ, cùm prouinciam reliquerit, priuatus remanet, l. *Præſes prouinciæ.* 3. *ff. de off. Præſ.* ſimilitérque de Legatis Pontificis, ex cap. *nouit. de off. leg.* ita etiam eo ipſo, quo ſubditus prouinciam amiſerit, etiam ad breue tempus, legibus Principis, & ſui Prælati actu ſolutus remanet.

His igitur iactis adeò ſolidis fundamentis, & rationibus, ex communiori, atque veteri vtriuſque claſſis DD. necnon 4
C Theologorum ſententia firmiter, atque reſolutiuè concludo; ſtatuta ſubditos extra territorij limites ſuæ patriæ vbilibet degentes pœnis, & inobedientia minimè afficere; & ideò ciues extra territorij fines ſui Præſulis, & Principis legibus, ſtatutis, præceptíſque ab eiſdem rationabiliter habitis, atque conſuetudinibus, etiam de eorundem conſenſu legitimè introductis, toto illius temporis curſu, quo à patria abſuerint, quanuis contra eaſdem operentur, minimè ſubiici, fateor, provt ſingulariter habetur ex cap. *à nobis. el* 1. cap. *Romana.* & Gloſ. *ibi in verbo, non niſi ſubditi, de ſent. excom.* & optimè facit cap. *vt animarum.* §. *ſtatuto. de conſt. lib.* 6. cap. *cùm Epiſcopus. de off. ord.* d. cap. *nouit. de off.*

L 2 *leg.*

*leg.* cap. fin. *de for. comp.* Clement. *Paſtoralis.* §. *nunquid. de re* A
*iud.* & d. Clement. 1. *de for. comp.* Abb. in d. cap. *à nobis. n.* 7. in d. cap. *vt animarum.* & in cap. *cum contingat. in* 3. *col. de for. comp.* vbi enumerat, & ſequitur multos moderniores legiſtas. Socin. ſen. in d. cap. vlt. *de for. comp.* Hanc communem DD. vtriuſque claſſis opinionem vocat Paulus Pariſienſis *conſ.* 159. *col.* 2. *lib.* 4. Bart. in l. 1. §. 1. *ff. de requir. reis.* Hippolytus de Marſiliis ſup. l. fin. *ff. de iuriſd. omn. Iud.* Didacus Perez *lib.* 3. *ordinament. tit.* 2. *leg.* 1. *quæſt.* 3. Dom. Card. in d. Clement. *Paſtoralis.* §. *denique. num.* 7. *de re iud.* Felin. in d. cap. *à nobis. num.* 6. Rochus Curt. *de conſuetud. quæſt.* 13. Henric. Boteus *in tract. de Synodo*, 3. *part. num.* 21. B
Ioan. Crot. in d. cap. *vt animarum.* §. *ſtatuto.* Petrus Ancharanus *in com. cap. canonum ſtatuta. in* 12. *char. verſ. tertiò principaliter. de conſt. lib.* 6. & l. fin. *ff. de iuriſd. omn. Iud.* Bart. in d. l. *cunctos populos. verſ.* 8. *memb.* 2. *C. de Sum. Trinit. & fid. cath.* in l. *mercatores. C. de com. & mer.* & in l. *Romanæ gentis.* 2. *C. de eunuch.* per repet. l. *neganda. col.* 2. *C. de his, qui accuſ.* Bald. in d. l. fin. *ff. eod. tit.* & *ibi* Paulus à Caſtr. Iaſ. *num.* 3. & Imol. exemplum adducentes de excommunicatione contra aleis ludentes per ſtatutum vibrata, in quo quanuis huiuſmodi cenſuram, etiam extra territorium extendere ſpecificet legiſlator; nihilominùs ea non affici ludentes, affirmant, contra C
Bart. in d. l. *cunctos populos. C. eod.* Item, iterum Bald. in l. 1. *C. de hæred. inſt.* l. *executorem. C. de exeuſ. rei iud.* & in l. *requirendi. C. de ſeru. fug.* & latiſſimè Angel. *in diſputatione*, quæ incipit: *Bononienſis ſuæ Ciuitatis bannitus. in* 2. *quæſt.* & quanuis Bart. in d. l. *cunctos populos. d. verſ.* 8. *memb.* 2. *num.* 45. contrarium teneat; cum hac diſtinctione, nimirum, quando ſtatutum eſt generale, comprehendens omnes vbique degentes; tamen huiuſmodi ſententia Bart. (ſit bona venia tanti Authoris dictum) iure ſuſtineri minimè poteſt. Et ratio eſt: quia in d. l. fin. *ff. de iuriſd. omn. Iud.* & in d. cap. *vt animarum.* §. *ſtatuto. de conſt. lib.* 6. omnibus dilucidè patet, le-

ges,

A ges, ſiue Canones, vel ſtatuta, nullam prorſus habere vim
extra ſtatuentis territorium, maximè cùm ea ſuam habeant
vim, & efficaciam à poteſtate ipſiuſmet legiſlatoris, quæ
quidem non egreditur proprij territorij limites. Propterea
inanem Bartoli ſententiam abſolutè & iure merito iudi-
cant Angel. & Paul. in d. l. fin. *ff. eod.* Bertach. *lib. 4. de Epi-
ſcop. 2. part. num.* 34. & DD. omnes in d. l. fin. quorum ſen-
tentia certior, atque firmior eſt. Et confirmatur ex verbis
expreſſis l. fin. *ff. de decret. ab ordin. faciend.* cuius hæc ſunt
verba: *Municipij lege ita cautum erit, ſi quis extra ſynedrium,* hoc
eſt, extra municipium, *iudicauerit, ordine, ſeu ſynedrio mo-*
B *ueatur, & luat ad hæc dragmas mille.* Ex Theologis Maior 4.
*diſt.* 15. *quæſt.* 3. *col.* 5. *art.* 4. Et optimè Pater Raynaudus
*in Opuſc. de Monit. par.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 9. Nauar. *in Sum. cap.*
13. *num.* 15. & *cap.* 23. *num.* 120. Suar. 3. *par. tom.* 1. *diſp.* 44.
*ſect.* 3. *num.* 4. §. *illud verò.* ſed clariùs *in tract. de leg. lib.* 3.
*cap.* 32. *num.* 3. vbi teſtantur, hanc communem Doctorum
ſententiam eſſe, *cum ſeqq.* & diffusè *in tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 5.
*ſect.* 4. *num.* 4. Auila *de cenſuris*, 2. *par. cap.* 3. *diſputat.* 2. *con-
cluſ.* 1. Sylueſt. *verb. excommunicatio*, 2. *notabili* 3. §. *ſcien-
dum eſt tertiò.* Henriquez *lib.* 7. *Summæ, de Indulg. cap.* 13. *n.*
8. & *lib.* 9. *de Miſſ. cap.* 25. *num.* 2. *in fin.* Graff. *lib.* 4. *deciſ.*
C *cap.* 8. *num.* 37. & 39. Filliucius *tract.* 11. & 1. *de cenſur. in
communi, cap.* 5. *num.* 148. & alij innumeri.

Hinc eſt, quòd familiares Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, 5
Camberij degentes, etiam ad longiſſimum tempus, quouſ-
que à patria abfuerint, ſiue inde receſſerint, animo re-
deundi, ſiue Camberij, aut alibi domicilium conſti-
tuendi, donec Taurini terminos regreſſi fuerint, le-
gibus, ſtatutis, & præceptis, atque conſuetudinibus eiuſ-
dem territorij Taurinenſis, vtpote immunes, atque
omninò exempti, quanuis dum extra locum originis, aut
domicilij moram trahunt, contra illas agant, nullo prorſus
iure obligantur: & per conſequens, eoſdem ad ieiunia, fe-

ſta colenda , Miſſamque hiſce diebus audiendam , cæteraſque ſuæ patriæ obligationes , ad quæ omnia , ſecluſa eorundem abſentia,aſtringerentur , minimè teneri , ex communi , atque veriori omnium DD. vtriuſque claſsis , atque Theologorum ſententia , firmiter concludo, vt patet ex d. cap. *vt animarum. de conſt. lib. 6.* & d. cap. *à nobis. el 1. de ſent. excomm. eod. lib.* & ſingulariter Couarr. in cap. *Alma mater. p. 1. §. 10. num. 3.* vbi concludit, hanc communem eſſe DD. omnium ſententiam : & *lib. 4. variar. cap. 20. num. 8.* cui ſententiæ non diſſentiunt,imò eam volunt Paul. à Caſtro *in l. fin. ff. de iuriſd. omn. Iud.* Angel. *ibidem.* Clement. *2. de celebr. Miſſar.* Suarius *tom. 1. de relig. lib. 2. tract. de diebus feſt. cap. 13. num. 2.* qui etiam hanc communem DD. ſententiam nuncupat , *de leg. lib. 3. cap. 22. num. 3.* & *tom. 1. de cenſ. diſput. 4. ſect. 4. num. 4. & ſeqq.* Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 30. quæſt. 8.* Vincentius Filliucius *tract. 11. de cenſur.* & *in comment. cap. 5. num. 148.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 8.* & *lib. 9. cap. 25. num. 2.* Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 18. num. 17.* & *in Decalog. cap. 12. num. 26.* Nauar. *in Manuali , cap. 13. num. 5. verſic. Infertur tertiò.* & *cap. 25. num. 120.* Sayr. *in Claui reg. lib. 7. cap. 3. num. 11. & 12.* Nicolaüs Baldellus *in Theolog. morali , lib. 5. tract. de leg. diſp. 31. num. 1. & ſeqq.* Coſmus Philiarch. *de offic. Sacerd. part. 2. lib. 3. cap. 23. notab. 3.* Bonacina *tom. 2. de leg. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 6. num. 59.* Sylueſt. *verb. excommunicatio , 2. in notab. 3. poſt num. 15. verſic. ſi verò ſciendum. prope finem.* Leonardus Leſſius *lib. 4. tract. de temperantia , cap. 2. num. 54.* Salas *de leg. diſp. 94. ſect. 5. num. 65.* Graff. *lib. 4. deciſ. cap. 8. num. 37.* Reginald. *lib. 13. num. 170.* Tolet. *in Summa , lib. 1. cap. 6. num. 4.* Emmanuel Sà *verb. excommunicatio , num. 8.* & ferè omnes. Et ratio eſt : quia ad obligandum ſimpliciter,& per ſe requiritur territorium , & perſona ſubdita , vt per DD. omnes in d. cap. *vt animarum. §. ſtatuto.* & Felin. in alleg. cap. *graue. col. 2.* Roland. à Valle *in volum. 3. conſ. 33. num. 40.*

Atqui

A Atqui poteſtas Præſulis Taurinenſis non egreditur ſui ter-
ritorij fines, d. cap. *vt animar.* vbi habetur, quòd *ius dicenti*
*extra territorium non pareatur impunè.* Ergo ſubditi dicti Præ-
ſulis, in alieno territorio degentes, non ſubiiciuntur legi-
bus illius. Igitur ad obligandum in hoc caſu non habetur
territorium, per quod Superior ſuam iuriſdictionem in ſub-
ditos exercére valeat, neque minùs perſona ſubiecta: quia
ſtatim ac quis territorij limites egreſſus fuerit, deſinit eſſe
ſubiectus ſuo Præſuli, & Principi, ex eo, quòd amittit
actualem ſubiectionem, ſeu eius vſum in ordine ad leges
territorij: quia conſtituitur extra terminos earum: ergo
B prædicti familiares extra Taurini territorium legibus, &
conſuetudinibus eiuſdem ciuitatis minimè obligantur.

Confirmatur: quia, quanuis habitu, ſeu radicaliter ſub- 6
diti remaneant; illa tamen habitualis ſubiectio non eſt ſuf-
ficiens, vt ad legum obſeruantiam eoſdem arctare valeat,
provt expreſsè habetur in d. cap. *vt animarum.* §. *ſtatuto. ſuprà*
*citato.* Bonac. *vbi ſup. num.* 59. Sanchez, Leſsius, & alij, quos
*ſuprà* citauimus. Denique, ſicut potentia cauſæ, nimirum,
ſtatuentium, eſt territorio limitata, l. *dum virum.* 53. *C. de*
*cur. lib.* 10. ideò conſequens eſt, vt limitatum quoque pró-
ducere debeat effectum. l. *ſed ſi plures.* 10. §. *in arrogato. ff. de*
C *vulg.* l. *ſi arrogator.* 22. *ff. de adept.* Vlteriùs, cùm extra ſphæ-
ram (vt ait Ariſtoteles) actiuitatis non ſequatur actio, provt
*ſuprà* probauimus, hoc eſt, ex defectu poteſtatis: igitur ne-
ceſſariò ſequitur, vt iuriſdictionis actiuitas in ferendis le-
gibus tota limitetur ad territorij terminos, ex d. l. fin.
*ff. de iuriſd. omn. Iud.* d. l. fin. *ff. de off. Præfect.* & d. cap. *Epi-*
*ſcopum. 9. quæſt. 2.* Igitur extra illos lex nihil prorſus ope-
ratur, ac perinde ad ſubditos in alieno territorio exiſtentes
extendi minimè poteſt. Imò, quanuis legiſlator in lege,
ſeu ſtatuto, explicitè ſubditos extra ſuum territorium obli-
gare intenderet, eoſdem extra illud comprehendere omni-
nò nequiret, vti *ſuprà* contra Bartolum, grauiſſimorum

Doctorum

Doctorum doctrina fulti, contrarium ſufficienter defendimus. Imò hæc doctrina, tanquàm certa, atque ab omni dubitatione remota, ad alios plures extenditur caſus, & A

7 Ampliatur primò: quia prædicta ſententia ſuffragatur indigenis, à loco originis, ſeu domicilij exeuntibus, quanuis tempore, quo adimplenda eſt lex, ſiue præceptum, diſcedant; nullo enim modo legibus, & conſuetudinibus patriæ extra illam ligari poſſunt. Thomas Sanchez *loco præcit. num.* 21. & *in Decalog. num.* 31. Nauarr *in Man. cap.* 13. *& n.* 5. *verſ. infertur ſextò.* Sayr. *loc. cit. num.* 12. Sà *in Aphor. loc. cit.* Suarius *d. lib.* 2. *de dieb. feſt. cap.* 13. *num.* 4. & alij quamplures. B

8 Ampliatur ſecundò, quanuis ſine vlla cauſa (quod maius eſt,) atque ex directa, & formali intentione obligationem euitandi, ad locum, vbi tale præceptum non viget, ſe reciperent, nullum committerent peccatum: hoc enim licitè omni iure permiſſum eſt, vt benè obſeruant Sanchez *loc. cit. num.* 29. & *in Decalog. num.* 35. Filliucius *vbi ſup. num.* 110. *&* 113. Bonac. *num.* 64. *verſ. addo non peccare.* & Leſſius *num.* 59. Et ratio per ſe patet: quia, quatenus leges locales ſunt, ideò per ſe territorium reſpiciunt, illíque affixę ſunt; & per conſequens tantùm ſubditos in illo exiſtentes tangunt; non autem abſentes obligant. Neque etiam in fraudem legis eoſdem agere, quanuis de conſulto ad vitandam legis obligationem diſcederent, liberè fatendum eſt: quia ex eo, quòd quis ſuo vtitur iure, nemini iniuriam facit. l. *quod & lex. ff. de hom. lib. exhib.* l. *nullus.* 55. *ff. de reg. iur.* l. *iniuriarum.* §. 1. *& 6. ff. de iniur. & fam. lib.* Atqui, quatenus ſtatutum, ſiue lex ſolùm præcipit, ne legis obſeruatio in tali loco violetur, non autem ibi aſſiſtere ad obſeruandam illam: ergo indigenæ diſcedendo ex loco, ad vitandam legis obligationem, non faciunt contra illam: idcircò eſt potiùs fugere obligationem præcepti in lege contenti, quod cùm eodem præcepto prohibitum non extat, erit igitur res tantùm in ſe indifferens C

A indifferens bona, aut mala, ratione finis additi, vt doctè notant Suarius *loc. cit. num.* 4. & Salas præcitatus *num.* 65. Bonac. *d. num.* 64. *eod. verſ. Addo non peccare.*

His accedit, quòd ſi Vercellenſis, cauſa vitandi ieiunium in Vigilia Sancti Euſebij, quæ eſt prima die menſis Auguſti, quod in tota diœceſi Vercellenſi eſt de præcepto, ratione inueteratæ conſuetudinis introductum, ibíque ab omnibus incolis ab hominum memoria inuiolabiliter ſemper eſt obſeruatum, Nouariam iter haberet, vbi tale ieiunium non obſeruatur, ibíque ſe accommodando ciuibus, abſque ieiunio licitè, & ſine peccato carnibus veſci poſſet; 9
B imò antè diſceſſum in eodemmet loco, vbi ieiunium obſeruatur, manè ientare eidem liceret, etiamſi certò ſciret, ſe Nouariam in meridie peruenturum, cum lacticiniis tamen ſolùm, non autem carnibus, in eodem ieiunij loco, vti licitum eſſet. Ita Leonardus Leſſius *num.* 57. & 58. Filliucius *num.* 112. & Salas *num.* 68. Thomas Sanchez *de matrim. num.* 22. & alij quamplures. Et ratio eſt: quia obligatio illa de vnica refectione in die ieiunij eſt quaſi indiuiſibilis, totámque reſpicit diem; ideóque in illa tractum habet ſucceſſiuum: igitur qualibet diei hora ſumi poteſt: circunſtantia enim temporis ex ſententia multorum DD. non
C eſt de neceſſitate, & eſſentia ieiunij: tum, quia illo die non tenetur à ſecunda refectione abſtinere, maximè cùm in loco, ad quem peruenturus eſt, ſecundò, & tertiò comedere illi licitum ſit: ergo, antequàm iter habeat, primam refectionem ſumere illi fas erit. Quoad autem carnium eſum, non ita proceditur: quia obligatio abſtinendi à carnibus, quatenus cadit ſub præcepto negatiuo, quod obligat ſemper, & ad ſemper, ideò eſt quaſi diuiſibilis, & ad partium diuiſionem totius diei rationem habet, exindéque fit, vt toties peccetur mortaliter, quoties eodem die comeduntur carnes; ac proinde comeſtio illa carnium, ſi fieret in loco ieiunij, pro vna diei parte remanere poſſet, etiamſi non

eſſe menſura pro alia non ignoraretur, ex eodem Thoma A. Sanchez *loc. præcit. de matrim. num.* 22. *&* 23. & *in Decalog. d. lib.* 1. *eod. cap.* 12. *num.* 34. Salas *num.* 67. *&* 68. & Filliucius *num.* 112. & alij.

10 Tandem, non ſolùm hæc ſententia patrocinatur indigenis, qui à loco originis, ſeu domicilij abeſſe arctantur; verùm etiam incolis, qui manè diſcedunt, veſpere autem, ſiue noctu domum redituri ſunt: e. g. ſi quis die feſto, qui in ſuo oppido, ſiue parœcia ad ſanctificandum ſub præcepto obligat, ad aliud oppidum, ſiue parœciam, vbi tale feſtum non obſeruatur, ſe conferat, ibique ſeruilibus vacet operibus, dummodo, priuſquàm manè diſcedat, Sacro in- B
terſit, ſi id tamen commodè fieri poſſit, ſecundùm veriorem DD. ſententiam, quanuis Sanchez *vbi ſup. num.* 21. & cum eo conſentiente Bonac. 2. *tom. de tertio Decalog. Præcep. quæſt. vnic. punct.* 3. *num.* 18. valdè probabile putet, eundem non teneri ad Sacrum audiendum, quoties ante meridiem extra illius oppidi fines diſceſſurus ſit; nullum prorſus committit peccatum, etiamſi id faciat lucri gratia: quia, quatenus circunſtantia lucri non eſt de eſſentia præcepti feſtum ſanctificandi, facere non poteſt id, quod per ſe in tali loco prohibitum non eſt, illicitum; quominùs illud etiam propter lucrum exerceri nequeat. Ita Suarius *de diebus feſt. eod.* C
*num.* 4. Sanchez *in Decalog. num.* 35. Nauar. *in Sum. d. cap.* 13. *num.* 5. Bonac. *loc. cit. eod. num.* 18. *verſ. an verò peccet.* Et ratio eſt: quia, quanuis alibi, nimirum extra territorium, vbi non colitur tale feſtum, indigena illud non obſeruet; non agit tamen contra ſui Prælati obedientiam: non enim violat feſtum in loco, in quo obſeruari præcipitur; dum extra ſui domicilij territorium operibus vacat ſeruilibus: tum, quia eo ipſo, quòd extra ſui Præſulis territorium conſtituitur, ab eiuſdem iuriſdictione omninò liber remanet: tum denique, quia, quatenus præceptum illud ſanctificandi feſtum locale eſt, loco ita inhæret, vt eo relicto, relinqua-

A tur etiam præceptum: ergo præceptum, ſiue lex extra legiſlatoris iuriſdictionem indigenas non comprehendit. Hinc ſequitur, quòd ſi contingat, feſtum aliquod ex voto, aut conſuetudine aliqua in honorem alicuius Sancti obligare in vna parœcia, non autem in alia; licitè, & ſine conſcientiæ labe ſubditi eius parœciæ, in qua obſeruatur feſtum, in alia, vbi non ſanctificatur tale feſtum, ſeruilibus operibus vacare poſſunt, ex Bonac. *loc. cit. de leg. diſput.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 6. *num*.... Suarez *d. lib.* 2. *de dieb. feſt. d. cap.* 14. *num.* 25. Reginaldus *d. num.* 170. Azorius, Henriquez, Clauis Reg. & Leſſius *ſup.* citati, & alij innumeri.

B Alij vrgent, differentiam inter ſtatutum, ſententiam generalem, & præceptum conſtituentes, per quam ſubditos cenſura per ſententiam generalem, ſiue per ſpeciale præceptum in eos laxata extra territorium feriri cenſent, maximè quando Prælatus omnes ſuos ſubditos vbilibet exiſtentes tali pœna, ſiue cenſura ligari ſpecificè decernit. Ita Bart. in l. *cunctos populos. C. de Sum. Trinit.* Federic. de Sen. *conſ.* 26. vbi dicit, ſubditum extra ſuum territorium exiſtentem citari, atque excommunicationis pœna à ſuo Prælato puniri poſſe, ex Ioan. An. *in reg.* Ioann. de Lignana, & Geminiano, quos citat, & amplectitur Abb. in cap. fin. *num.* 11

C 41. *&* 42. *de for. comp.* hanc adducens rationem, quòd non deficit poteſtas in excommunicante, cùm ſubditus ſit vbilibet ſubiectus. Coſta in cap. *Romana. num.* 16. *de ſent. excom. lib.* 6. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 9. §. 3. *num.* 4. Sayr. *lib.* 1. *de cenſur. cap.* 7. *num.* 18. & Bonacina *diſp.* 1. *de cenſ. in com.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 11. *num.* 14. dicentes, ſententiam generalem, ſiue ſpeciale præceptum perſonas afficere, non autem territorium reſpicere, veluti ſtatutum, quod illi inhæret, & ſic extra illud vim ſententiæ iuris extendere, ac perinde ſubditos cenſura, & pœna vbique à ſuo Prælato ligari, etiam extra iuriſdictionem. Verùm, his non obſtantibus, contra præcitatos Authores, exploſa priùs eorum inani differen-

tia, atque limitatione, quam ex nunc iure merito reiicit A
Nauar. *in Manual. cap.* 27. *Miſcellan.* 2. *ſubiuncto num.* 273.
contrarium plenè, ac ſolidè amplectendum eſſe affirmo.
Ratio autem eſt veriſſima: quia, quatenus excommunicatio, ſiue per præceptum, ſiue per ſententiam, etiam generalem, ſiue per ſtatutum vibrata dicit iuriſdictionis actum, atque ad forum reducitur contentioſum, quod ſanè proprij territorij limites non egreditur, prout *ſuprà* abundè probauimus; ideò Prælatus in ſubditos ſuos extra territorium nullam iuriſdictionem exercere poteſt, ſaltem contentioſam, ac perinde illos extra territorium per ſententiam generalem, ſiue per ſpeciale præceptum excommunicatione, B
ſiue alia pœna punire non poteſt. Quare, etiamſi in d. cap. *vt animarum.* fiat tantùm mentio de cenſura, non autem de obligatione præcepti, maximè cùm de ea diſpar ſit ratio, quia impoſitio cenſuræ non refertur ad vim directiuam, ſed ad coactiuam, & ad pœnalem legem: igitur vltra territorij limites non extenditur iuriſdictio: Prælatus enim extra ſuæ iuriſdictionis fines nec ſententiam dicere, neque minùs punire poteſt, d. Clement. 1. *de for. comp.* cap. *placuit. cl.* 2. 7. *quæſt.* 1. Tamen oraculum Pontificis in ratione, quam adducit, quæ quidem æquiparatur excommunicationi per ſententiam generalem, aut per ſpeciale præceptum laxata, C
nimirum, extra territorium iuriſdicenti non parcatur impunè; aliter non fuit, quàm declarare ſubditos per violationem dicti ſtatuti excommunicatione, aut alia pœna in eo contenta extra ſuum territorium minimè ligari. Confirmatur: quia per violationem dicti ſtatuti ſubditus extra territorij fines non conſtituitur contumax contra obedientiam Eccleſiæ: ergo ſignum eſt, eum, etiam quoad vim directiuam, non aſtringi ſtatuto extra territorium. Probatur etiam ratione: quia, ſi per tranſgreſſionem ſtatuti conſtitueretur contumax, etiam excommunicatione arctari poſſet, & conſequenter incurrere cenſuram legis: ſed virtus ſtatuti,

quatenus

A quatenus tota circunſcripta, & limitata eſt territorij ſtatuentis finibus, quos egredi non poteſt, *iuribus proximè præcitatis*, non extenditur ad ſubditum extra eoſdem degentem: ergo operando contra ſtatuti diſpoſitionem extra territorium non poteſt conſtitui contumax, neque per conſequens excommunicationis pœna ligari: contumacia enim ad incurrendam cenſuram eſt cauſa ſufficiens, iuxta illud Matth cap. 18. verſ. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Igitur, ſicut cenſura ſtatuti illa extra territorium non ligat: ita etiam neque præceptum, aut ſententia aliqua, licèt generalis ligabit: & per conſequens ratio illius textus iure merito extenditur ad quencunque iuriſdictionis actum, ſiue per legem municipalem, ſiue illa canonica, ſiue ciuilis ſit, (ſeruato tamen iuris ordine,) ſiue per præceptum, ſiue per ſententiam etiam generalem exercendum.
B

12 Hinc fit, quòd ſi Epiſcopus Clerico ſubdito legitima, & rationabili de cauſa ex diœceſi diſceſſuro, ſtudiorum, ſcilicet, vel negotiorum, vel alia ſimili de cauſa, ne extra diœceſim ludat, arma ferat prohibita, ne Sacrum faciat, niſi ter, aut quater in hebdomada, & ſimilia ſub excommunicationis, aut ſuſpenſionis pœna præciperet; dempta C tamen iuſta, & rationabili cauſa ei præcipiendi, ne diœceſim egrediatur: tunc Clericus extra diœceſim contra Epiſcopi præceptum celebrando, ludendo, arma prohibita deferendo, nec peccaret, neque minùs in cenſuram prolaberetur: at verò diœceſim, poſita huiuſmodi iuſta, & rationabili cauſa, egrediendo, cenſuram non effugeret, quatenus res, & perſona delinquens ſub iuriſdictione Prælati præcipientis tempore delicti reperiuntur: quia tunc delictum conſummari dicitur in præcipientis territorio. Ità Coninchus *de Sacram. diſp.* 13. *dub.* 7. *concluſ.* 7. *num.* 63. Angel. à Clauaſio *verb. excommunicatio*, 1. *num.* 10. Syluester *verb. eod.* 2. *n.* 4. *poſt notabile* 3. & omnes communiter *ſup.* citati.

13 Ampliatur hæc noſtra ſententia: quia idem ius, quod A militat in ſubditis extra territorium, militat etiam in ipſis in loco exempto: quia paria ſunt, eſſe in loco exempto, ac extra territorium, cap. *cùm Epiſcopus.* & *ibi* Gloſſa *de off. Ord. lib.* 6. & Gloſ. in Clement. *quamuis. de for. compet.* in qua legitur: *Locus extra diœceſim, & locus exemptus æquiparantur.* Optimè quoque facit d. cap. *luminoſo.* 18. *quæſt.* 2. *cap.* 2. *de ſtatu Regul. lib.* 6. Clement. fin. *de priuil.* in quibus definitum eſt, Epiſcopos, exceptis quibuſdam in caſibus à iure expreſſis, nullam poteſtatem in locis exemptis habere: & Gemin. in d. cap. *vt animarum. n.* 18. vbi dicit, quòd, ſicut ſtatutum Epiſcopi delinquentem extra territorium non ligat: ita neque illud intra, in loco exempto. Ioan. And. *ibid.* B Pet. Anchar. in Repert. cap. *ſi propter tua debita. de reſcript. lib.* 6. Calderin. *in conſ.* 13. *in ritu de for. comp.* quos citat, & ſequitur Iaſon in l. fin. *ff. de iuriſdict. omn. Iud. num.* 3. *&* 5. & l. *relegatorum.* §. *ſicut autem. ff. de interd. & releg.* & l. 1. *ff. ad municip.* & cap. 1. *de priuil. lib.* 6. & eximiè conuenit, quod notat Bartolus in repet. l. *omnes populi. ff. de leg.* & l. *cunctos populos. C. de Sum. Trin.* Huc benè facit *conſil.* Angel. 233. incipiens: *Quædam Margareta. n.* 2. *& per tot.* in quo declarat, teſtamentum ab eadem in Monaſterio exempto confectum, quoad obſeruantiam ſolennitatis, quam exigit, & in actu C teſtandi, ſeu inter viuos diſponendi requirit, in territorio factum dici non poſſe. Ex Theolog. Palud. 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *in* 2. *part. art.* 2. & *ibi* Gabriel *quæſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 6. Roſel. *verb. excommunicatio,* 7. §. 3. Armil. *num.* 30. & alij, quos adducit, & cum eis conſentit Suar. *de leg. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 9. & *in tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 5. eruditè P. Raynaud. *ſup. cit.* §. *quia verò.* Nauar. *conſ.* 50. *num.* 2. *de reg.* vbi ſequitur Decium, qui alios permultos enumerat. Tabiena *ver. excommunicatio*, 4. *quæſt.* 3. Syluest. *ibid. poſt. notabile* 3. *dub.* 2. Sayr. *lib.* 1. *de cenſur. cap.* 7. *num.* 9. Barboſa *de off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 88. *num.* 26. *&* 27. Filliuc. *tract.* 11. & 1. *de cenſ.*

*in*

A *in commun. cap.* 15. *num.* 149. Baldellus *de lege*, *lib.* 5. *diſput.* 31. *num.* 15. Bonacina *de cenſ. in commun. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 11. *num.* 8. Hinc eſt, quòd ſi Epiſcopus Vercellenſis contra ſurripientes rem ſacram excommunicationem per ſtatutum laxaret; furantes Calicem, v. g. Vercellis in Eccleſia Sancti Pauli Ordinis Prædicatorum, prædicta cenſura minimè ligarentur. Simili modo, ſi idem Epiſcopus ſub eadem excommunicationis pœna Domus Monialium ingreſſum ad colloquendum cum illis prohiberet; ſepta Monaſterij exempti ingredientes talis cenſuræ pœnæ obnoxij minimè remanerent: & ſic de quacunque alia pœna per ſtatutum,
B ſiue per ſententiam, ſiue per præceptum in contrafacientes in loco exempto inflicta, dicendum eſt. Ratio autem eſt clara: quia, quemadmodum Monaſteria exempta Diœceſani iuriſdictioni non ſubiiciuntur; ideò eatenus formaliter ſe habent, ac ſi extra diœceſim cum toto eorum ambitu ſita eſſent; quamuis materialiter in ea collocata ſint, & quatenus formaliter ad eam non pertinent, idcircò in eis Diœceſanus iuriſdictionis nullos actus exercere valet. Igitur ſtatutum à Diœceſano conditum in loco exempto, neque obligare, neque minùs in illo delinquentem comprehendere poteſt.

C Quare miror, cur Suarius (ſit tanti Authoris pace dictum) *in tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 6. & cum eo conſentiente Vgolino *vbi ſuprà*, *loc. cit.* §. 3. *num. eod.* huiuſmodi exemptionem quoad hoc ad locum tantùm plenè exemptum, nimirum, ad oppida, & parœcias quaſdam ab Epiſcoporum iuriſdictione ſubtractas, neglectis Eccleſiis, ſimúlque Regularium Monaſteriis, reducere conetur; cùm illum nullam prorſus rationem, neque minùs locorum diſparitatem, (quoad exemptionem,) quæ ad rem pertineant, quibus potiùs Monaſteria diuerſæ, & deterioris conditionis, quàm oppida, ſeu parœcias conſtituat, adferre poſſe cenſeam: d. cap. *luminoſo.* 18. *quæſt.* 2. *cap.* 2. *de ſtat.* 14

*Regular-*

*Regular. lib. 6.* & Gloſſa *ibi in verb. Nota, quòd Archiepiſcopi.* A
abſolutè, & indiſtinctè loquuntur: & vbi lex non diſtinguit, neque nos ibi diſtinguere debemus. l. *de pretio. 8. ff. de publ. in rem.* & quod generaliter dictum eſt, generaliter intelligi debet. cap. *ſolitè. de maiorit. & obed.* & l. 1. §. *generaliter. ff. de legat. præſtand.* Quapropter hîc non eſt philoſophandum; ſed iuris diſpoſitioni ſtandum. Nam verba legis non debent intelligi ſophiſticè; ſed debent capi in ea ſignificatione, quam rectè intelligentibus generare ſolent: quippe quia communis vſus loquendi præfertur propriæ verborum ſignificationi, nedum in diſpoſitione iuris poſitiui, ſeu legibus Iuriſconſultorum; verùm etiam in Scriptura B
diuina. Textus eſt notabilis in cap. *maiores. circa med.* & *ibi* not. Panormit. *de Baptiſm.* & ſingulariter idem Panorm. in cap. *nam & Rex. num. 2.* in cap. *Ioſeph. num. 3.* & in cap. *quanuis. num. 3. de verbor. ſignific.* vbi per illos textus apertiſſimè oſtendit, quòd in interpretatione legis, & cuiuſque diſpoſitionis, etiam diuinæ, communis vſus loquendi præualet propriæ ſignificationi. Vnde non debemus intelligere verba legis ſecundùm ipſorum proprietatem, ſed ſecundùm communem intellectum, & modum loquendi. l. *non aliter. ff. de leg. 3.* l. *Labeo ait. 7. ff. de ſupellect. legat.* l. *ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil.* & *ibi* Bart. *num. 4.* Iterum Abbas in cap. C
*intelligentia.* & in cap. *prætereà. de verb. ſignific.* Confirmatur fortiùs: quia communis vſus loquendi præfertur propriæ ſignificationi vocabuli, etiam in materia odioſa, atque ſtricta, vt eſt materia ſtatutorum. Ita notabiliter habetur ex Panormitan. in cap. *per tuas. num. 6. de probat.* & in cap. *ſecundo. in princip. de arbitr.* Quam ſententiam ſapientiſſimè amplectuntur Bartolus, Alexander de Imola, & Iaſon *in rub. ff. de noui oper. nunc.* vbi afferunt perpulchra exempla; & idem Bart. in l. *libellorum.* §. *ſed ſi aliud. ff. de accuſat.*

15. Neque Ancharano in d. cap. *vt animarum.* néve Sancto Antonino eius ſententiam (vt videtur) amplectenti, *tertia*

*part.*

A *part. Sum. tit.* 24. *cap.* 75. §. *quaſi. in fin.* credendum eſt, qui prædictam exemptionem ad locum exemptum, in quo Abbas, ſeu alius Prælatus iuriſdictionem epiſcopalem, ſeu quaſi ſolùm ex forma priuilegij habet, reſtringere intendunt: quia quauis dignitate, & priuilegio fulgeat Prælatus loci exempti, dummodo locus plenè à iuriſdictione Diœceſani, intra cuius diœceſim materialiter ſitus eſt, exemptus ſit, ſemper militat eadem ratio, vt qui in eo deliquit, non ligetur tali Diœceſani cenſura contra delinquentem laxata. Ita eruditè P. Raynaudus, Iuriſperiti, & alij *ſup.* citati.

Dices: Lex obligat omnes ſubditos, & partes Commu-B nitatis: atqui indigenæ, licèt actù alibi extra territorij limites commorentur, tamen ſunt ſubditi, atque pars Communitatis, ſeu oppidi, ita Abb. in cap. fin. *num.* 42. *de for. comp* cap. *propoſuiſti. tit. eod.* ergo ſubditi legibus, & conſuetudinibus municipalibus ſui domicilij, etiam extra diœceſim, ligantur.

Reſpondetur, ſubditos extra territorium degentes retinere ſubiectionem habitu, ſeu mauis, radicalem: quia, cùm primùm in territorium redierint, ſubditi actu fient: amittere quidem actualem, ſeu eius vſum in ordine ad leges territorij, quatenus abſentes conſtituuntur extra terminos ea-C rum: textus enim ibi dicit, ſubditos extra territorium retinere ſubiectionem, ratione iudicij iam cœpti in loco delicti commiſſi: ſecùs autem, ſi nulla præceſſiſſet citatio ante delinquentis exitum, vt ſuo loco dicemus: & ſic non obſtant contraria: quia ſubditi, dum à patria abſunt, ampliùs directè non poſſunt dici pars Communitatis, neque minùs ſubditi ſuo priori ſuperiori; & ideò legibus patriis non obligantur. 16

Dices ſecundò: Incolæ, dum in alieno territorio verſantur, leges, & præcepta illius ſeruare non arctantur, provt expreſsè habetur ex d. cap. *vt animarum. de conſt. lib.* 6. & d. cap. *à nobis. el* 1. *vbi ſup.* ergo à ſtatutis ſuæ patriæ minimè vindicantur.

17 Reſpondetur, hoc eſſe per accidens, quòd à ſuis legibus, A dum à patria abſunt, eximantur: non enim inſpicitur, quod per accidens eſt; ſed quod per ſe: ideò non ad ea, quæ rarò; ſed quæ frequenter accidunt, leges adaptantur. l. *nam ad ea. ff. de leg.* Igitur nihil contra nos. His tamen ſic adductis rationibus, & probationibus pro coronide noſtræ ſententiæ, quæ quidem, licèt in ſe veriſſima, & in praxi tutiſſima ſit, nonnullis tamen caſibus limitari poteſt, &c.

18 Limitatur primò, prædictam noſtram ſententiam nullum habere locum in omni iuriſdictionis voluntariæ caſu: quia omnia, quæ expediri poſſunt ſine cauſæ cognitione, & non pro tribunali in aliena iuriſdictione, liberè exerceri B poſſunt, & tunc ſubditi ſui Prælati iuriſdictioni ſubiiciuntur, etiam extra territorium. Ita Hoſt. in tit. *de pœnit. & remiſſ. §. cui confitendum.* vbi dicit, quòd Sacerdos parochialis ſuos parochianos vbicunque confitentes abſoluere poteſt, cùm confeſſio voluntariæ iuriſdictionis ſit, cap. *omnis. de pœnit. & remiſſ.* arg. cap. penult. & vlt. *de off. leg.* Domin. Card. in Clem. *dudum. de ſepult.* & facit, quod notat Panor. in cap. *cùm contingat. de for. comp.* & in cap. *nouit. num. 3. de off. leg.* & iterum Hoſt. *ibid.* & l. 2. *de off. Proconſ.* l. fin. *ff. de off. Præfect.* Archid. in cap. *placuit. de pœnit. & remiſſ. 6. diſt.* Paulus Eleazar. in d. Clem. *dudum. tit. eod.* Syluеſt. *verb. Confeſſor.* 1. §. C 14. Angelus à Clauaſio *ibid.*

19 Limitatur ſecundò, non procedere, quando res, circa quam delinquitur, intra territorium ſita eſt: quia tunc, licèt ſubditus delinquens ſit extra; tamen dicitur peccatum conſummari intra illud, ratione, ſcilicet, rei ſitæ: omiſſio enim præcepti conſummari cenſetur, vbi præceptum adimpleri debuiſſet: ibi enim dicitur quis delinquere, vbi non facit, quod facere debet. l. *qui non facit. ff. de reg. iur.* E. g. ſi Epiſcopus Vercellenſis excommunicationem, aut pœnam aliam per ſtatutum in Clericos non reſidentes per duos menſes, vibraret, habentes in ſuo Epiſcopatu reſidentiale beneficium,

A beneficium, ſi præſcriptis duobus menſibus ad reſidentiam venire neglexerint, ſecluſa ignorantia, & impotentia; huiuſmodi cenſuram, aut pœnam eos non effugere, certiſſimum eſt. Et ratio eſt: quia ſtatutum, quatenus reſpicit rem ſtatuenti ſubiectam, nimirum, beneficium, cui annexa eſt reſidentia, operatur in diœceſi, vbi reſidentia requiritur: quapropter ibi dicitur conſummari delictum, quatenus omiſſio illa cedit in damnum, & præiudicium territorij. Confirmatur: quia in ordine ad cenſuras, & forum Eccleſiæ, peccatum conſummatur in ipſomet actu, & effectu externo prohibito: ſed omiſſio reſidentiæ, quæ eſt actus externus B prohibitus ſub cenſura, conſummatur in Eccleſia iuriſdictioni ſtatuentis ſubiecta: ergo non reſidentes tali tempore in ſtatuto præfixo, huiuſmodi ſtatuti pœnæ, ſiue cenſuræ, obnoxij remanent, cap. fin. *de for. comp.* cap. *Romana.* §. *contrahentes. eod. tit.* cap. 1. *de vſur. lib. 6.* Et idem notat Gloſ. magna in Clem. 1. *vt lit. non conteſt.* Iaſ. in d. leg. fin. *ff. eod.* Federic. de Sen. *in conſ.* 182. Panor. in cap. *ſanè. num.* 1. *de for. comp.* Angel. *verb. excommunicatio*, 1. *num.* 10. Syluest. *verb. eod.* 2. *poſt notabile* 3. *in except. num.* 2. *&* 3. Suar. *de leg. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 8. Bonac. *ead. diſp.* 1. *de cenſ. in com. quæſt.* 1. *punct.* 11. *num.* 7. Baldellus *proximè cit. eod. tract. de leg. lib.* 5. *diſp.* C 31. *num.* 7. *verſ. & eadem ratione.* Hinc fit, quòd, quando ſtatuto cautum eſt ſub excommunicationis pœna, vt omnes Clerici beneficiati prouinciali Synodo in diœceſi habendæ intereſſe debeant; qui non interſunt, licèt ſint extra diœceſim, demptis ignorantia, & impotentia, ligantur ſtatuti cenſura, aut pœna afficiuntur, *iuribus ſuprà allatis.*

Quare, qui dicunt, ſubditos extra territorium degen- 20
tes ad reſidentiam, elapſo tempore à ſtatuto præſignato, venire recuſantes cenſuram incurrere, ratione, ſcilicet, contumaciæ in diœceſi inchoatæ, & in aliena conſumptæ; non rectè dicunt: quia, licèt contumacia interior inchoetur in propria; exterior autem in aliena conſummetur juriſdictio-

ne; tamen quatenus ipſamet omiſſio, quæ ſub cenſura pro- A
hibetur, in Eccleſia, vbi ex obligatione reſidendum eſt; conſummatur; idcircò contumaciam in eadem inchoari, ſimul atque conſummari, fatendum eſt: ac proinde in ordine ad cenſuram, & forum Eccleſiæ ibi delictum committi dicitur, vbi exteriùs conſummatur, quanuis alibi inchoetur. Confirmatur: quia tota vis cenſuræ cadit ſuper inobedientiam, & contumaciam in non reſidendo: ſed reſidentia intrinſecè inhæret beneficio, quod in Diœceſi ſitum eſt: ergo in ipſamet diœceſi incipitur, & conſummatur talis contumacia, per quam incurritur cenſura. Tum, quia, quatenus obiectum cenſuræ reſpicit tantùm actum B
externum, non autem internum; maximè cùm Eccleſia de illo per ſe non iudicet, nam interna Eccleſiæ iudicio non ſubiiciuntur, iuxta illud 1. Reg. cap. 16. verſ. 7. *Homo enim videt ea, quæ patent; Dominus autem intuetur cor.* Igitur excommunicationis effectum in illomet actu externo prohibito omiſſionis, ſcilicet, reſidentiæ completo, vbi reſidendum eſt; non autem in exteriori actu contumaciæ ibidem inchoatæ, conſiſtere, neceſſariò concludendum eſt.

21 Hoc tamen cum diſtinctione amplectendum eſſe exiſtimo: prædicta enim doctrina non procedit in ordine ad alias pœnas, ſiue effectus, præter cenſuras: quia ex communi, C
& veriori Iuriſperitorum doctrina habetur, delinquentem ratione delicti ſubiectum fieri, vbi inceptum, & vbi conſummatum eſt delictum, quando, ſcilicet, in vno loco inchoatur, & in alio conſummatur, ex l. 1. *C. vbi de crim. agi oport.* in qua ſic habetur: *Vbi commiſſa, vel inchoata ſunt, & vbi reperiuntur.* & l. 1. *C. vbi Senat. vel clariſs.* l. *adultera. C. de adult.* l. *ſi cui crimen.* §. *idem Imperator.* & §. *fin. ff. de accuſat. & inſcript.* Bart. in l. *dominium. de furt.* Abbas in cap. *poſtulaſti. num.* 18. & communiter Expoſitores omnes. Ratio autem per ſe patet: quia reus in vtroque territorio deliquit: ergo ratione delicti ſortitur forum illius loci delicti

quoad

A quoad pœnam, ſiue iudicium correſpondens tali delicto, provt in ſingulis locis commiſſo.

In ordine autem ad cenſuram, non ita proceditur: quia 22
non contrahitur cenſura propter inchoationem delicti, donec plenè conſummatum ſit; (dummodo tamen ex intentione eam ferentis aliter non conſtet:) & ſic non attendendum eſt territorium, vbi inchoatur, ſed vbi conſummatur delictum. Verbi gratia, ſi ſtuprum Taurini ſub excommunicatione prohibitum eſſet, & quis decipiens virginem, quamuis oſculis, promiſſione, & tactibus in territorio Taurini inchoaret delictum, dummodo illud non intra, ſed ex-
B tra diœceſis terminos conſummat, non afficitur tali cenſura. Præterea, ſi Vercellis ſub cenſura prohibitum eſſet homicidium, & vnus ex diœceſanis in diœceſis limitibus exiſtens alium extra diœceſim occidat; tunc, quamuis incipiat delictum intra, emittendo globulum; tamen non ligatur cenſura extrà occidendo. Ita Suar. *in tom. 5. de cenſ. diſp. 5. ſect. 4. num. 9.* & *de leg. lib. 3. cap. 32. num.* 8. Salas *de leg. diſp.* 14. *ſect.* 5. *num.* 71. Diana *tract. 6. miſcellan. reſol.* 78. *verſ. notandum.* Bonac. *tom. 1. de cenſ. in com. diſp. 1. quæſt. 1. punct.* 11. *num.* 10. & 11. Filliucius *tract.* 11. & 1. *de cenſ. in comm. cap.* 5. *num.* 148. & 150. Et ratio eſt: quia non incurritur
C cenſura, niſi propter delictum conſummatum in ea ſpecie, in qua ſub cenſura prohibitum eſt: ſecùs autem, ſi extra diœceſim exiſtens inchoaret homicidium laxando rotam; intra autem conſummaret delictum ibi occidendo: & tunc proculdubio in cenſuram incurreret homicida; quia delictum conſummatum eſt, vbi ſub cenſura eſt prohibitum.

Si autem ſub cenſura per ſtatutum vibrata, extra Diœ- 23
ceſim tritici, vel ſimilium extractio prohibita eſſet; extrahens triticum, ſeu aliquid aliud prohibitum, excommunicationem non effugeret: quia, quamuis delictum, donec diœceſis limites quis reliquerit, conſummari non videatur, licèt etiam hæc potius moraliter, quàm philoſophicè

iudicanda ſint, veruntamen in toto iuris rigore certum eſt, A peccatum illud, quoad actionem, in toto diœceſis limite conſummari, etiamſi quoad terminum extrinſecum in aliena conſummetur diœceſi. Ita Angelus à Clauaſio *in verb. ſtatutum*, *num.* 3. Vgolinus *vbi ſup. de cenſ. num.* 3. Auila *loc. cit. dub.* 5. Suarez *loc. cit.* Salas *de legibus, quæſt.* 97. *ſect.* 6. *num.* 86. & alij nonnulli.

24 Dicet aliquis: Si Camberij, verbi gratia, ſub eadem excommunicationis pœna prohibitum etiam eſſet homicidium, & Caïus vulnus mortiferum Sempronio infligeret, indéque Sempronius lethaliter vulneratus in diœceſim Morianenſem ſe reciperet, & ibi naturæ debitum perſolueret, remaneretne Caïus homicida excommunicatus? Et B reſpondeo affirmatiuè; quia, licèt ad incurrendam excommunicationis pœnam ſemper expectandus ſit vltimus effectus talis rei prohibitæ conſummatus, qui quidem in loco, vbi non extat talis pœna, ſequutus eſt; tamen quoad actionem illam externam, Camberij homicidium conſummatum eſt: quòd autem effectus extrinſecus, nimirum, ipſa mors, ſequatur in hac, vel in altera diœceſi, per accidens eſt, & extrinſecum; & ad id, quod per accidens eſt, leges non extenduntur: l. *ex his.* l. *nam ad ea.* l. *iura,* & *duabus ſeqq. ff. de leg.* Igitur ſolùm animaduertendum eſt, vbi reuerà homicidium commiſſum ſit: & quanuis homicidium in C loco prohibito non plenè conſummatum ſit; tamen quatenus actio occidendi, & occiſio paſſiua idem motus, atque eadem entitas ſunt, ac etiam vtraque includit mortem abſque noua malitia, & noua obiecti deformitate, ex qua ab excommunicatione ſaluari poſſit homicida; (nam actio, vt aggredientem ab agente, & paſſio, vt receptum in paſſo, & talis occiſio eſt reuerà peccatum, ſine noua tamen malitia;) ideò totum homicidium per ſe, quoad rationem peccati, & pœnæ incurrendæ, Camberij conſummari, abſolutè concludendum eſt. Confirmatur: quia, quanuis homicida

de

A de mortifero vulnere, priuſquàm mortiferè offenſus, ex præſenti tenebroſo diſcedat carcere, doleat, pœniteat, ſimúlque peccatum homicidij confiteatur, & de eodem abſolutionis beneficium recipiat; nihilominùs; quatenus in morte conſummatur tota ratio peccati quoad effectum, ex quo, tanquàm ex obiecto, ſuam trahit malitiam, & deformitatem, Caïus homicida excommunicationis pœnam euitare minimè poteſt. Bonac. *loc. cit.* Filliucius *eod. loc. præcit, num.* 151. & quamplures alij hoc ſingulariter affirmant.

Denique, cùm ad incurrendam cenſuræ pœnam expectandus ſit vltimus delicti effectus, quid, ſi homicida, 25
B ante vulnerati mortem, vitæ ſuæ diem clauderet extremum? nunquid excommunicatione remaneret innodatus? Et reſpondendum eſt negatiuè: quod quidem ratione probatur: quia excommunicatio laxata eſt contra homicidium; non autem contra mutilationem perpetrantes: ſed homicidium, cùm adhuc viuat vulneratus, nondum eſt ſequutum: igitur niſi completo homicidio non incurritur cenſura. Sequuta autem vulnerati morte, ligatúrne cenſura homicida mortuus? Reſpondeo, eum etiam non ligari. Ratio autem in promptu eſt: quia, aut cenſura in animam ſeparatam, aut in corpus exanime fertur: non in animam, quia
C ipſa non ſubditur Eccleſiæ iuriſdictioni, quæ ad huiuſmodi pœnam infligendam ſimpliciter requiritur, cùm excommunicatio ſit actus iuriſdictionis contentioſæ, provt ſuprà diffusè, & exactè probauimus: tum, quia nemo à ſuo non Iudice ligari poteſt. cap. *quod autem. de pœnit. & remiſſ.* quod facit ad rem præſentem. Confirmatur: quia vel anima ſit in Inferno, vel in Purgatorio, ſemper talis pœnæ incapax redditur: quia, ſi in Inferno, iam ſuffragiis Eccleſiæ expers eſt omnibus, quæ finis cenſuræ ſunt, iuxta illud Dauidis Pſalmiſtæ, pſalm. 118. verſ. 63. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, &c. quibus, cùm ſit extra Chriſti fidelium conſortium, ampliùs priuari minimè poteſt. Si in Purgatorio

rio (de Beatis enim dubitandi ratio nulla eſſe poteſt) hu- A
iuſmodi pœna neque eſt, neque minùs etiam digna eſſe poteſt: poſita autem Eccleſiæ poteſtate in animam in Purgatorio exiſtentem, etiam directiua, nullam tamen habere nequit, ſaltem quoad vibrandam in eam cenſuram, neque minùs indirectè reſpectu animarum Purgatorij illam exercere poſſet. Neque denique in corpus mortuum: quia per ſe, & directè excommunicationis incapax eſt, cùm vſum rationis non habeat, neque ab ipſo emendationis effectus expectari poſſit, maximè cùm emendatio etiam ſit cenſuræ finis. Corroboratur etiam authoritate: quia poteſtas ad excommunicandum, Eccleſiæ collata eſt à Deo in illis ver- B
bis Matth cap. 18, verſ. 18. *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Sed defuncti non ſunt ſuper terram: ergo excommunicari non poſſunt. Quapropter Caius homicida, non expectato vltimo mortis effectu, illoque etiam poſt eius obitum ſequuto, neque in vita, neque etiam poſt mortem in excommunicationem prolapſus eſt, nec minùs etiam ampliùs excommunicari poteſt, cap. 1. *de Sum. Trinit. & fid. cathol.* Couar. in cap. *Alma mater.* 1. *par.* §. 11. *num.* 8. *de ſent. excom.* qui ait, hanc eſſe communem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam. Marian. C
Socin. ſen. in cap. *mulieres. num.* 23. *eod. tit.* Turrecrem. *cap.* 24. *quæſt.* 2. *à princip.* Alphonſ. à Caſtr. *lib.* 2. *de iuſta hæretic. punit. cap.* 19. *&* 20. Suar. 3. *par. tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 3. Sot. 4. *diſt* 2. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in fin.* Anton. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 75. §. 1. Syluestr. *verb. excommunicatio,* 1. *notab.* 3. §. *ſciendum eſt tertiò.* Nauar. *in Sum. cap.* 26. *num.* 32. *& cap.* 27. *num.* 13. Auila 2. *part. de cenſ. cap.* 4. *diſp. vnica, dub.* 8. §. *ſecunda concluſio.* P. Raynaudus *loc. cit.* §. *neque tamen.* Sayr. *lib.* 1. *de cenſ. c.* 8. *n.* 8. Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 14. *quæſt.* 2. Tolet. *lib.* 1. *Sum. cap.* 7. *n.* 6. qui etiam dicit, hanc eſſe communem Theologor. & Canoniſt. ſententiam; & alij quamplurimi.

Veruntamen

A Veruntamen his, & aliis minimè obſtantibus, cum communiori, atque veriori, tum Theologorum, tum etiam Iuriſperitorum doctrina, vita functos propter delicta in vita commiſſa, ſi cenſuram, aut pœnam annexam habuerint aliquam, in illam incurriſſe declarari, eóſque eccleſiaſtica ſepultura, boníſque ſpiritualibus priuari, quamuis de eorum damnatione non conſtet; ſin verò cenſuram annexam non habuerint, aut ſi aliquam habuerint, etiamſi impoſita ſit ipſo iure ſolùm, vt non incurratur, donec peccatum plenè conſummetur, & ante delicti conſummationem deceſſerint; nihilominùs eoſdem ſuffragiis Eccleſiæ militantis B omnibus, atque honore ſepulturæ in loco ſacro, vtique priuari poſſe, firmiter concludo. Ratio autem eſt euidentiſſima: quia, ſicut propter bonum commune aliquando reſpublica delicta nonnulla in vita commiſſa, etiam poſt mortem punire poteſt, & ſecundùm praxim quotidianam punit; quando tamen propter eorum atrocitatem ita expedit, provt expreſsè habetur ex l. *apoſtatarum.* 4. *C. de apoſt.* l. *quiſquis.* 5. *C. ad leg. Iul. maieſt.* l. *defunctorum.* 4. *C. de re milit.* l. *etſi Marcellus* 2. l. *ſicut proponis.* 4. *C. ſi reus, vel accuſ.* l. fin *ff. ad leg. Iul. pec.* l. *ex iudiciorum.* 20. *ff. de accuſ. & inſcrip.* l. *poſt contractum capitale.* 15. l. *donationes.* §. *fin. ff. de donat.* l. *defuncto. ff. de pub. iud.* l. *Lucius. ff. de iur. fiſc.* & Bart. in l. 1 §. *fin. ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* Bald. in l. *vel quod. de relig.* Paul. à Caſtr. in d. l. *poſt contractum. circa princip. in verb. primus caſus eſt. ff. eod.* Mantica *tom. 2. lib.* 13. *de tract. & amb. conuent. tit.* 39. *num.* 24. Simili modo etiam Eccleſiæ hoc facere nullo prohibetur iure per pœnas ſuæ poteſtati proportionatas: atque illud ad terrorem, necnon exemplum aliorum Chriſti fidelium. Quare Caïum homicidam propter tale vulnus mortiferum in vita ab eo perpetratum ſuffragiis, boníſque Eccleſiæ ſpiritualibus omnibus ab eadem priuari poſſe certiſſimum eſt, provt ſingulariter habetur ex cap. *pro obeuntibus. in fin.* 13. *quæſt.* 2. cap. *ſuper quodam.* cap. *Monachi.* §. *qui*

C

*verò.* cap. *cùm ad Monaſterium.* §. *prohibemus quaſi.in fin. de ſtat. Monach.* cap. 1. *de torneam.* cap. *ſuper eo.* §. *penult. & vlt. de rap.* cap. *quia in omnibus. de vſur.* cap. *ſacris. de ſepult.* cap. *à nobis. el 2. de ſent. excom.* cap. *ad hæc. de priuil.* cap. *latronem.* 33. *quæſt.* 2. cap. *miror.* 17. *quæſt.* 4. cap. *placuit.* 23. *quæſt.* 5. cap. *oblationis.* 90. *diſt.* & cap. *ſanè.* 24. *quæſt.* 2. in quo quamplures facinoroſi enumerantur, quos propter delicta in vita commiſſa poſt mortem in excommunicationem incurriſſe declararunt Summi Pontifices, & ſicut teſtantur Sancti Patres; pro quibus etiam ſancta Mater Eccleſia non orat: quam ſententiam multùm laudat, atque de ea ſingulariter tractat Iuſtinianus Imperator *in epiſtola ſua ad Ioannem Papam II.* quæ refertur *in prima collatione ipſius Synodi vniuerſalis V. in verſ. Hortantur autem hoc diſceptare*, &c. *litt. B.* vbi docet, quòd Synodus dicta *can.* 21. Theodorum poſt mortem, ſimulque alios Hæreticos anathematizauit, nouum non eſſe; ſed iam ad praxim redactum in Valentino, Baſilide, Marcione, Cerintho, Manichæo, Eunomio, & Boneſo. Idem etiam teſtantur Synodus Nicæna de Ario, Synodus Conſtantinopolitana I. de Macedonio, & Synodus ſexta generalis Conſtantienſis *act.* 1. quæ anathematizauit Dioſcorum, & Pyrrhum vita functos, & in Concilio Africano *can.* 48. producuntur, quæ D. Auguſt. *de vnitate Eccleſiæ, cap.* 7. *epiſt.* 152. *ad Donatiſtas* habet. Confirmatur etiam ex praxi quotidiana Inquiſitorum, qui Hæreticos ſua ſententia damnare, eos excommunicando, & eorum corpora exhumando, vt comburantur, ſolent: aliæque probationes, & exempla permulta videri poſſunt apud Alphonſum à Caſtro *lib.* 2. *de iuſt. Hæret. punit. cap.* 19. & 20. qui diffusè, & luculenter ſanè tractat quæſtionem, ac etiam apud Pamelium *ad epiſtolam* 66. *Sancti Cypriani, num.* 16. cui ſententiæ ſubſcribunt etiam Pater Raynaudus *de Monit.* §. *Arcto me ad ſententiam.* Syluest. Auila, *verſ. tertia concluſio.* & DD. omnes *loc. cit.*

28 Præterea in cap. *Neque.* 88. *diſt.* habetur, quendam Victo-

A rem vita functum, pro tranſgreſſione tantùm cuiuſdam decreti eccleſiaſtici, cui tamen nulla cenſura annexa erat, contra cuius formam in Concilio datam Victor Geminianum Fauſtinum Presbyterum tutorem inſtituit, ſuffragiis, & oblationibus Eccleſiæ militantis à S. Cypriano priuatum fuiſſe. Hanc tamen pœnam propter bonum commune illi impoſitam, colligitur ex illis verbis textus in fin. *Vt Sacerdotum decretum religiosè, & neceſſariè factum ſeruetur à nobis.* Inſuper ex cap. *ſi quis Epiſcopus de Hæret.* cenſuram delictis quibuſdam ab Epiſcopo in vita perpetratis annexam non conſtat aliquam impoſitam fuiſſe; nihilominùs *eod. cap.* propter
B huiuſmodi delicta de eo legitur: *Vt ſaltem poſt mortem dicatur ei Anathema, & nomen eius inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* Denique *in lib. 4. Dialog.* S. Gregorij *cap. 5. litt. E*, proditur, quendam Monachum, nomine Iuſtum, qui artem medicinalem profitebatur, propter tres abſconditos aureos, apud eum, contra Religionis Regulæ formam, inuentos, ad extrema perductum, Copioſo fratri ſuo germano indicaſſe; quo audito, D. Gregorius, vltimis vitæ ſuæ diebus, Fratrum ſubſidium, atque conſortium ei ademit; vita verò functo pro eiuſdem dormitione ne oblationes, eleemoſynæ, & deprecationes fierent, atque corpus ſuum exa-
C nime ſepultura in loco ſacro omninò carere, ſanciuit; & quod admiratione dignum eſt, corpus illud, vnà cum tribus illis aureis, in ſterquilinio, & pro exequiis cum execratione hac: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* ſepeliri, terràque operiri Fratribus præcepit: & hoc, vt ex eiuſdem D. Gregorij vita colligitur, ad exemplum, atque terrorem aliorum Fratrum. Quibuſdam autem ab interitu Iuſti diebus elapſis, idem D. Gregorius pro rigida pœnitentia Iuſto iniuncta in ſe reuerſus, ſeueram miſericordia temperans iuſtitiam, necnon charitatis officio ductus, ſecretè Priori Monaſterij Pretioſo iniunxit, vt pro Iuſti anima Sacrificia, deprecationéſque Deo offerret: completa autem trigeſima

O 2 Oblatione,

Oblatione, Copioſo anima Iuſti fratri ſuo noctu apparuit, à quo de illius ſtatu interrogata, in hæc prorupit verba: *Nunc vſque malè fui: ſed iam modò benè ſum; quia hodie communionem cepi.* Quo ſanè facto D. Gregorio relato, ſepulturam in loco ſacro corpori Iuſti ſtatim dari iuſſit. Ex hoc autem A
29 euentu, pro animabus defunctorum in Purgatorio detentis in vniuerſali Eccleſia Miſſas celebrandi triginta, ortum habuit pia, & laudabilis conſuetudo, quæ à vulgo vocantur Miſſæ Sancti Gregorij, & ſunt triginta. Ediſcant igitur ex hoc Religioſi, votum paupertatis profitentes, Superiore ignorante, aut renuente, pecunias ſibi reſeruare, & in vſum proprium conuertere non eſſe licitum: quia, quanquam in B præſenti vita ampliùs non habeant pro Superiore Diuum Gregorium; non deficit tamen illis iuſtus, & ſupremus Iudex, qui etiam abſcondita intuetur, & vnicuique ſecundùm opera reddet.

30 Finaliter Sanctus Ioannes Gualbertus, in Monaſterio Vallis-Vmbroſæ Abbas, & Religionis Fundator, provt in eius Vita apud Surium *tom. 4. verſ. In Monaſterio Vmbroſiano. & ſeqq. pag. mihi* 189. legitur, quendam Fratrem ſui Ordinis vita functum anathematizauit, ſtatim ac expoſita ſibi fuit interitus Fratris cauſa, nimirum, propter inobedientiam, non ſatis cautè in morbo ſe cuſtodiendo, obiiſſe: qua C excommunicatione, donec à Sancto Abbate propter defuncti inſtantiam per apparitionem, cuidam Fratri clara luce factam, abſolutus, Eccleſiæque conſortio reſtitutus fuit, ligatus extitit: reuocatis autem pro defuncti anima ſuffragiis, eleemoſynis, & oblationibus per totam Religionem, euolutóque ab eiſdem triginta dierum ſpatio pro gratiarum actione, defuncti anima iterum eidem Abbati apparuit, cui retulit, ſe in numerum Beatorum eſſe receptam. Quare priuatio illa, & anathematizatio in relatos defunctos vibrata propriè non eſt excommunicatio; ſed maledictio quædam, & execratio, ad inſtar profectò anathematizationis Hæreticorum,

A corum, qui cùm hæreſim, qua obnoxij erant, abiurare compelluntur, anathematizant eam; tamen nullam prorſus excommunicandi authoritatem habent, vt habetur ex cap. *Ego Berengarius. de conſecr. diſt.* 2. Idémque dicendum mihi videtur de Beato Petro, qui cùm cœpit anathematizare, & iurare, quia non nouerat Chriſtum; non excommunicauit ſeipſum, neque aliam perſonam. Igitur in ſupradictis caſibus anathema illud, nihil aliud eſt, quàm maledictio quædam, aut ſaltem excommunicatio indirecta.

Differentia autem inter excommunicationem, & anathema hæc vertitur: omiſſis igitur priùs huiuſce vocis Græcæ, 31
B *anathema*, ſignificationibus, quæ tum ſacræ Scripturæ, tum etiam Sanctorum Patrum teſtimoniis comprobantur, nimirum Ioſue *cap.* 6. Athanaſ. *ad Roman. cap.* 9. D. Ioan. Chryſoſt. *ibid. homil.* 16. *cap.* 10. *in tom.* 4. ex quibus colligitur, anathema ſignificare donum, quod Deo in ſacrificium reſeruatur, dedicatur, & offertur. Daniel verò *cap.* 9. occiſionem ſignificare teſtatur: aliæque permultæ à Sanctis Patribus referuntur, de quibus nunc nobis ſermo non eſt. Vt ea igitur tantùm ſignificatione, quando vox illa, *anathema*, ab Eccleſia excommunicationi apponi ſolet, vtamur, & tunc idem importat, quod abominabile, execrabile, & deteſta-
C bile; hoc ſanè Sanctorum Patrum, & Authorum omni doctrina, & exceptione maiorum teſtimoniis conuincitur, atque in primis D. Auguſtini, Patriarchæ celebris, *in quæſtionib. ſuper lib. Numer. tom.* 4. *lib.* 4. *quæſt.* 40. *&* 41. & *tom.* 2. *epiſt.* 178. & Sancti Hieronymi *in Zachar.* ſuper illa verba: *Habitabimus in Hieruſalem: & anathema non erit ampliùs.* hoc eſt, maledictio, & abominatio. Super autem illud Pauli ad Romanos cap. 9. verſ. 3. *Optabam enim ego ipſe eſſe anathema à Chriſto pro Fratribus meis.* omnes Expoſitores hoc vehementiſſimè comprobant, & præcipuè ipſemet D. Hieronymus *loc. ſup. cit.* inquiens, Paulum optare, anathema eſſe, hoc eſt, maledictum, pro ſalute Fratrum. Sed fuſiùs *in epiſt.*

 151. *ad*

151. *ad Algaſiam, quæſt.* 9. D. Thomas, Theophylactus, A Theodoretus, & D. Ioannes Chryſoſtomus *ſup.* citatus *in eadem verba*, & *ad Corinth. cap.* 16. *verſ.* 22. ſuper illa verba Pauli: *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, anathema ſit.* Eraſmus *in Lucam*, *cap.* 21. Iuſtinus Mart. *ad Gent. quæſt.* 121. Iuſtinianus Imperat. *in ſua confeſſ. in fin.* quæ habetur *in tomo* 1. *Concilior.* Couarr. in cap. *Alma mater.* §. 8. *num.* 6. Alciat. Vgolinus *de cenſ. Eccleſiæ*, *tab.* 2. *cap.* 33. §. 1. *num.* 3. Baronius *tom.* 1. *Annal. anno Chriſti* 57. *num.* 169.
31 & aliqui Expoſitores, quos fideliter citat, & pulchrè amplectitur Nauarr. *in comment. de dat. & promiſſ. notab.* 5. *num.* 10. Ex hoc autem verbo, *anathema*, teſte eodem D. Auguſt. B
*loc. cit.* venit; *anathematizo*: *anathematizare* verò, ſeu (vt verbo Auguſtiniano vtar) *anathemare*, eſt abominari, deteſtari, maledicere, & execrari. Quatenus autem ad anathematizandum nulla prorſus requiritur poteſtas, ſaltem iudicialis; ideò quælibet perſona, licèt nulla poteſtate publica fulgeat, anathematizare tamen valet: & hoc ex quotidiana praxi, quæ omnem tollit difficultatem, vt patet in illis, qui hæreſes, & Hæreticos anathematizant; nullam tamen prorſus excommunicandi poteſtatem habent: omnis enim, qui hæreſim, qua anteà maculatus erat, reiicit, cùm ad Eccleſiæ cœtum acceptatur, priùs hæreſim abiurare, atque anathematizare aſtringitur, provt expreſsè, & ſingulariter C
probatur ex ſententia Gratiani in d. cap. *Berengarius. de conſecr.* 2. *diſt.* Non igitur omnis huiuſmodi Hæreticus reſipiſcens excommunicandi poteſtatem habet.

32 Inſuper paſſim etiam videmus, Eccleſiam hoc verbo, *anathema*, vti ſemper in ſuis ſententiis poſt verbum excommunicationis; non autem vnquam ante verbum, *excommunicamus*, ponere verbum, *anathematizamus*, vt apertè videtur in cap. *excommunicamus.* 1. & 2. *extrà*, *de Hæret.* & in cap. *cùm non ab homine.* *extrà*, *de iud.* Priùs enim ibi præcipitur, vt Clericus incorrigibilis excommunicetur, & deinde, vt anathematis

A anathematis mucrone feriatur. Ad excommunicandum 33
verò, quatenus excommunicatio dicit actum iuriſdictionis
contentioſæ, hæc duo ſimpliciter, & neceſſariò requiruntur,
poteſtas, ſcilicet, & ſubiectio: quæ poteſtas euidenter,
& perſpicuè probatur ex illis verbis Matth. *d. cap.* 18. *verſ.*
18. quando Saluator Eccleſiæ excommunicandi poteſtatem
conceſſit, dicens: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram,
ligata erunt & in cælis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram,
erunt ſoluta & in cælis.* & ſubiectio in eo, qui excommunicatur:
nam ad hoc, vt excommunicatio ſuum ſortiatur
effectum, requiritur ſubiectum excommunicationis capax,
B nimirum, homo baptizatus Eccleſiæ ſubditus: ſecùs autem
nihil operaretur excommunicatio: nullus enim à ſuo non
Iudice, neque ligari, neque minùs abſolui poteſt, d. cap.
*ad audientiam. de conſt. lib.* 6. Quare ex probationibus *ſuprà*
recenſitis apertiſſimè, & dilucidè omnibus patet, non idem
eſſe prorſus, *excommunicatio*, & *anathema.* Confirmatur:
quia habent iſta duo inter ſe ſe ordinem talem, quòd nec
ſemper ab inuicem ſeparantur, neque etiam ſemper ſe
neceſſariò conſequuntur, vt eidem ſemper conueniant.
Nam, licèt idem poſſit excommunicari, & anathematizari,
(quando tamen ſimul ſunt coniuncta;) nihilominùs
C conſequens non eſt, vt omnis anathematizatus, aut maledictus
ſit eo ipſo excommunicatus; néve etiam è conuerſo
conſequens eſt, vt omnis excommunicatus ſit ipſo
facto anathematizatus, aut maledictus. Hinc fit, quòd Eccleſia,
poſtquàm aliquem publicè, & nominatim excommunicauit,
anathematizare ſolet. Ex quibus prædictis omnibus
manifeſtum eſt, in Conciliorum, ſiue Pontificum
decretis iure optimo, iuſtáque de cauſa poſt excommunicationis
verbum, appoſitum eſſe verbum anathematis: quia
poſt excommunicationis vinculum, ad maiorem timorem,
& terrorem cęteris incutiendum, placuit Eccleſię ſemper addere
maledictionem, quæ anathematis nomine ſignificatur.

Quapropter,

34 Quapropter, quatenus mortui iudicio Eccleſiæ ampliùs non ſubduntur, vt denuò probatur ex citatis iam verbis Saluatoris Matthæi cap. 16. verſ. 19. *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* & ex D. Ioanne Chryſoſtomo *lib.* 5. *de anathemate.* ideò excommunicari minimè poſſunt; & per conſequens vita functi, dum ab Eccleſia anathematizantur, non excommunicantur, vt ſingulariter probatur ex Concilio Conſtantienſi *ſuprà* relato *ſeſſ.* 8. vbi anathematizauit Ioannem Vviclef defunctum: ſexta Synodus generalis *act.* 1. anathematizauit Dioſcorum, & Pyrrhum: & *act. vlt.* Theodorum, & multos alios Hæreticos iam defunctos; hoc eſt, maledixit illis, & imprecationes in eoſdem dixit; non tamen illos excommunicauit. Prætereà, Summi Pontifices, & Concilia non ignorabant, ſe in prædictos defunctos ampliùs vllam habere poteſtatem, necnon etiam inter excommunicationem, & anathema aliquod eſſe diſcrimen. Ideò nunquam Concilia in ſuis definitionibus, & ſimiliter Pontifex in ſuis decretis, verbo excommunicationis contra illos Hæreticos; ſed tantùm verbò anathematis vſus eſt. Idem iudicium etiam faciendum eſt de eo, quod ex Concilio Africano habetur, & id refertur in cap. *ſi quis Epiſcopus: extrà, de Hæret.* vbi anathema habetur pro maledictione, non autem pro excommunicatione: & probatur ex eo, quòd ſancta Mater Eccleſia huiuſmodi locutionis genere in fulminanda excommunicatione nunquam vſa eſt, nimirum, *dicatur anathema*; ſed quidem ſemper hoc modo, *ſit anathema*; aut, *ſit excommunicatus.* Ex quo dicendi modo ſatis apertè conſtat, ſententiam illam tantùm declaratoriam eſſe: illud enim, *dicatur anathema,* tantùm operatur, ac ſi dixiſſet, appelletur excommunicatus, vocetur maledictus. Denique corroboratur hoc: quia, poſtquàm Concilium præceperat: *Dicatur ei anathema.* ſtatim ſubiungit: *Atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.*

Erat

A Erat autem tunc in Eccleſia conſuetudo quædam, vt Catalogus omnium Epiſcoporum in dies decedentium, in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus haberetur, quorum nomina publicè coram populo ad altare recitabantur, vt populus pro illis ad Altiſſimum preces porrigeret: quæ conſuetudo (*ni fallor*) aliquibus in locis, ſicuti ego obſeruaui, adhuc viget. Prohibet igitur Concilium Africanum, ne Epiſcopus, qui hæredes hæreticos, aut paganos contra Concilij decretum inſtituit, in Epiſcoporum Catalogo ſcribatur, neque eius nomen inter Epiſcoporum nomina recitetur: quæ quidem conſuetudo, atque Concilij Africani ſententia ex qua-
B dam Epiſtola D. Leonis Papæ I. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quæ eſt 38. *in ordine epiſtolarum ſuarum*, optimè probatur, in qua habentur hæc verba: *De nominibus autem Dioſcori, Iuuenalis, & Euſtachij ad ſacrum Altare non recitandis dilectionem tuam hoc decet cuſtodire, quod noſtri ibidem conſtituti faciendum eſſe dixerint, quódque honorandæ Sancti Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua Chriſtianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis eſſet, atque incongruum, eos, qui innocentes & catholicos ſua perſecutione vexarunt, Sanctorum nominibus ſine diſcretione miſceri.* Hæc ille. Leo etiam Papa III. in epiſtola pro confirmatione ſextæ gene-
C ralis Synodi ad Conſtantinum Imperatorem exarata, & quæ habetur *in vlt. act. eiuſdem Synodi*, prædictam approbat conſuetudinem, & textum eiuſdem cap. *Si quis Epiſcopus. ſup. cit.* declarat, cùm inquit: *Anathematizamus præterea* (inquit Leo) *proinde, atque execramur omnes hæreſes, omnéſque earum authores, atque fautores, qui aduersùs Apoſtolicam, & orthodoxam fidem diabolicis decepti fallaciis falſitatis errores in Eccleſiam conati ſunt introducere, id eſt, Arium, Sabellium, Macedonium.* Et multis Hæreticorum nominibus recenſitis, tandem ſubdit: *Quos ſancta, catholica, atque Apoſtolica Eccleſia de Catalogo fidelium Patrum, vtpote zizania de area Dominicæ Eccleſiæ, gehennæ ſupplicio applicanda, per ventilabrum diuinæ diſcretionis abiecit.*

Hæc Leo III. Ex quibus duobus tam fide digniſſimis teſti- A
moniis ſingulariter probatur, nomen illud, *anathema*, in
illo loco poſitum, & contra prædictum Epiſcopum, & alios
Hæreticos fulminatum, non pro excommunicatione; ſed
pro maledictione, execratione, & abominatione haberi.
Quanuis autem in cap. *à nobis. el 2. extrà, de ſent. excom.* ex
verbis Innocentij Papæ III. videatur vita functos in ex-
communicatione decedentes ab eadem abſolui, ac etiam
Eccleſiam quibuſdam in caſibus mortuos ligare, & abſol-
uere poſſe; nihilominùs ſi benè excommunicationis effe-
ctus examinentur, qui non ſolùm ad vnam aliquam perſo-
nam, in quam vibratur excommunicatio; ſed ad plures B
alias extenduntur perſonas, Eccleſiam, quæ dum aliquem
excommunicationis telo ferit, non tantùm excommunica-
tum, verùm etiam alios, ligare, abſque dubio fatendum
erit. Quare, dum ipſa in aliquem excommunicationem
fulminat, eo ipſo etiam alios ligat, & prohibet, ne pro tali
excommunicato orationes ad Deum fundere publicas, Sa-
cra facere, eleemoſynas erogare, alia pia opera exercere, &
tandem commercium vllum cum illo habere præſumant:
& ſi excommunicatus in tali decedat excommunicatione,
ſepulturæ honore priuatus remanet. Hinc eſt, quòd Eccle-
ſia priuando mortuos ſuffragiis, tam corporis, quàm ani- C
mæ, quæ eiſdem à Chriſti fidelibus prouenire poſſint, indi-
rectè eos lædit, quæ læſio quodammodo, & indirectè vo-
cari etiam poteſt excommunicatio, quæ tamen verè non
eſt: & hoc Eccleſiam circa defunctos facere poſſe, non eſt
dubitandum: quia, quanuis defuncti Eccleſiæ iudicio non
ampliùs ſubdantur; ſubiiciuntur tamen viuentes alij, ad
quos Eccleſiæ tale dirigitur mandatum, quo ligati rema-
nent, ne pro illis orare queant, & per conſequens non de-
functi, ſed viuentes huiuſmodi ligantur excommunica-
tione.

36 Eodem etiam modo Eccleſiam ab excommunicatione

abſoluere

A abſoluere poſſe vita functos, qui ea ligati obierant, liberè fatendum eſt: qua abſolutione, ſi res benè perpenditur, non tam defuncti, quàm viuentes abſoluuntur, dum viuentibus conceditur facultas, qua anteà ligati erant, ne pro defunctis excommunicatis orare valerent, vt deinceps liberè pro illis orare, Sacrificia Deo offerre, & alia pia opera exercere poſſint, ac valeant. Defuncti igitur in tantum dicuntur abſolui, in quantum prædicta orandi libertas, quæ viuentibus relaxatur, cedit in eorum vtilitatem: & hoc modo intelligendus eſt textus ille in cap. *à nobis. el. 2. extrà, de ſent. excom.* vbi Innocentius Papa ſtatuit, Eccleſiam poſ-
B ſe ſoluere, & ligare defunctos. Confirmatur hoc etiam ſententia Leonis Papæ 1. in ſua epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, quæ eſt 60. *in ordine epiſtolarum ſuarum*, vbi ſic inquit: *De communione priuatis, & ita defunctis horum cauſa iudicio Dei reſeruanda eſt, in cuius manibus fuit, vt talium obitus non vſque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicamus, mortuis communicare non poſſumus.* Hæc Leo Papa; & habetur in volumine Decretorum *cap. de communione. 24. quæſt. 2.* ex qua ſententia Leonis Papæ manifeſtiſſimè conſtat, nullum poſt mortem ab excommunicatione, in qua deceſſit, abſolui, neque
C minùs, qui ſine excommunicatione obiit, eà poſt mortem feriri poſſe. Quę ſententia ſingulari etiam teſtimonio corroboratur Vrbani Papæ in epiſtola ad Guillimundum Epiſcopum, quæ refertur in cap. *ſanè. ead. cau. & quæſt.* dicentis: *Inter cæteros quippe noſtræ fidei Patres, Beatus Leo Papa, Doctor egregius; Quibus viuis* (inquit) *non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Conſtat ergo, quibus viuis (vt ex oppoſito loquamur) communicamus, mortuis quoque communicare poſſumus.* Hæc Vrbanus. Confirmatur denique teſtimoniis Gelaſij Papæ ſuper illa verba Matth. d. cap. 16. *d. verſ. Quodcunque*, &c. & habetur in d. cap. *legatur. dict. cau. & quæſt.* & apertiùs in illis verbis, quæ produntur *ex cap. Nec quiſquam.*

*dict. cau. & ead. quæſt.* vbi quæſtionem attentat, an mortui A
ab excommunicatione abſolui, & ea ligari poſſint: quam quæſtionem profectò his abſoluit verbis: *Cæterùm de eo, qui in diuino iudicio eſt conſtitutus, nobis fas non eſt aliud decernere, præter id, in quo eum dies ſupremus inuenit.* Hæc Gelaſ. Quare ex prædictis tam præſtantiſſimis teſtimoniis, vita functos, nec excommunicationis mucrone iugulari, neque minùs ab illo abſolui poſſe, manifeſtiſſimè conſtat.

37 Hinc fit, quòd licèt delicta in vita commiſſa, etiam enormia, excommunicationis ſententia puniri minimè poſſint; nihilominùs propter nonnulla facinora, etiamſi cenſuris obnoxia non ſint; in vltionem tamen iuſtam Chriſti fideli- B
bus præcipere poteſt ſancta Mater Eccleſia, ne certa ſuffragia, atque oblationes pro defunctis, qui huiuſmodi perpetrauêre ſcelera, faciant; quanuis de eorum damnatione certitudo non detur. Et ratio eſt: quia, etſi Eccleſia directè in animas Purgatorij nullam habeat poteſtatem, provt *ſuprà* diffusè diximus; habet tamen omnimodam, & plenam iuriſdictionem directam in Chriſti fideles Eccleſiæ militanti adſcriptos, per quam nullo iure eidem prohibetur, quin eiſdem ad bonum commune Eccleſiæ, & ad cæterorum terrorem, atque exemplum; ne pro illis oblatio, & deprecatio fiat vlla, liberè præcipere valeat, ac poſſit. C

Dices: Ad incurrendam cenſuram requiritur conſummatio delicti, & per conſequens attendendum eſt territorium, in quo conſummatur delictum: ſed homicidium in Sempronio conſummatum eſt, vbi non eſt illi annexa excommunicatio: ergo Caius pro tali vulnere mortifero inflicto non incidit in excommunicationem.

38 Reſpondetur, ad incurrendam cenſuram expectari quidem vltimum effectum delicti conſummatum intrinſecè, non autem extrinſecè; ac perinde conſiderari territorium, vbi talis effectus intrinſecus ſecutus eſt: ſed homicidium prædictum conſummari in loco, in quo cenſura homici-
dio

A dio non eſt adnexa, quoad actionem merè extrinſecam ſine vlla noua malitia, & deformitate, nimirum, quoad exhalationem ſpiritus tantùm, conceditur; quoad autem effectum neceſſariò influentem ad mortem, negatur: ergo ex tali homicidio non incurri cenſuram pariter abſolutè negatur: quòd autem mors ſequatur hîc, vel alibi, nihil refert ad incurrendam pœnam. At enimverò quatenus neceſſitas illa vltimi effectus exterioris mortis ſimpliciter dicit relationem ad vulnus mortiferum, ex quo peccatum mortis totam trahit malitiam ſuam, & deformitatem; ideò homicidium per ſe dicitur conſummatum in loco, vbi illatum eſt B vulnus mortiferum, nimirum, Camberij; & per conſequens Caius ab excommunicationis pœna minimè excuſatur: & ſic non obſtant contraria.

Limitatur tertiò, ſubditos pœna, ſiue cenſura ſtatuti aliquando illigari, videlicet, quando ſtatutum intendit originare cauſam in territorio proprio ex facto negatiuo in alterius iuriſdictione commiſſo. Sed tamen cum diſtinctione enucleandum hoc cenſeo, ſcilicet, aut res per ſtatutum, ſiue per ſententiam ſub aliqua pœna, aut cenſura eſt prohibita, quia mala; vel eſt mala, quia prohibita. Secundò, cenſura, ſub qua cadit res, vel eſt ipſo facto, aut ipſo iure inflicta, vel comminatoria: ſi primo modo, hoc eſt, quòd res C prohibita ſit præcepto negatiuo, & cenſura pro tali præcepto ipſo facto, aut ipſo iure impoſita ſit, tunc ſubditos extra territorium delinquentes tali pœna, aut cenſura feriri firmiſſimè concludendum eſt: e. g. cautum eſt ſtatuto, vt quicunque tale furtum vbilibet commiſerit, niſi infra bimeſtre à die criminis perpetrati coram Iudice delicti, ſiue coram nobis compareat, ſit ipſo facto excommunicatus: tunc reus, licèt in aliena diœceſi furtum commiſerit, & ibi verſetur, atque præſcripto tempore incipiat eſſe contumax; tamen excommunicationem nullo modo euitare poteſt; non ratione furti prohibiti, quia eſt factum negatiuum extra iu-

 riſdictionem;

riſdictionem; ſed; quia reus reſpectu conuentionis, quæ eſt A
virtualis citatio coram legitimo Superiore, iam præoccupatus eſt: quia per reſcriptum arctari potuit; & ideò parere debuit. Igitur ex contumacia, qua non comparuit, cùm comparere ſit factum affirmatiuum contrarium faciendum, in territorio ſtatuentis excommunicationis pœna ligatur, cap. *propoſuiſti.* cap. *Romana.* §. *contrahentes. de for. comp. lib. 6.* cap. *ex tuæ. de Cler. non reſid.* cap. 1. *de rap.* Angel. & Sylueſt. *verb. excommunicatio*, *vbi ſup. loc. cit.* Antonius Marſcottus de Caluis in repet. cap. *vt animarum.* §. *ſtatuto. num.* 26. *de conſt. lib. 6.* Sayr. *lib.* 1. *de cenſ. cap.* 6. *num.* 44. Sin verò ſecundo modo, hoc eſt, quòd res ſit prohibita ſub cenſura B
comminatoria, & tunc ſubditos in excommunicationem, ſiue aliam pœnam, non incurrere concludendum eſt. Et ratio eſt: quia obligatio legis ſemper ſupponit ſubiectionem, ſine qua fruſtrà operatur cenſura, *iur. ſup. allat.* ſed ſubiectio in iuriſdictionis limite ſtatuentis nulla eſt, quia ibi non eſt factum delicti, ex quo præoccupetur reus, cùm delictum in alterius territorio (vt ſuppono) commiſſum ſit; neque minùs perſona delinquens, cùm extra diœceſim verſetur: ergo tali cenſura, ſiue pœna, extra territorium alligari nequit ſubditus. Verùm, ſi ſubditus poſt delictum in aliena iuriſdictione commiſſum ad proprium reuertatur domi- C
cilium, & inde coram ſuo proprio Superiore intra diœceſim de illo conueniatur; tunc Prælatus ſupra huiuſmodi delictum, licèt extra territorium commiſſum ſit, cauſam tamen cognoſcere, & indigenam etiam excommunicando punire valebit. V. g. ſi Vercellenſis Mediolani furtum commiſerit, & deinde elapſo aliquo tempore Vercellas reuertatur, Epiſcopus Vercellenſis furem ſubditum ſub excommunicationis pœna ad furti reſtitutionem compellere poterit, & ſi non reſtituat, eum excommunicare, ſimul atque punire. Ita Sot. 4. *diſt. in* 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 1. *verſ. reſpondetur ergo.* Farinacius 1. *part. prax. quæſt.* 7. *num.* 20. Hen-

riquez

A riquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 26. §. 1. *&* 2. Baſil. Pont. *lib.* 5. *de matr. cap.* 7. §. 2. *num.* 20. Auila *de cenſ.* 2. *part. cap.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 6. Sayr. *lib.* 1. *de cenſ. cap.* 26 *num.* 42. Et ratio eſt: quia, licèt delictum perpetratum ſit extra territorium ſtatuentis, & tempore delicti reus extra iuriſdictionem exiſtens non eſſet ſubditus actu; erat tamen ſubditus virtualiter, ſeu radicaliter, per quam ſubiectionem radicalem in patriam reuerſus à ſuo proprio Superiore de tali delicto iam commiſſo conueniri, ſimul atque puniri poterit. Ita Suarez *in tom.* 5. *de cenſ.* & alij permulti *ſuprà* citati.

Limitatur quartò, indigenas extra territorium excom- 40
B municatione ligari, etiam comminatoria, reſpectu, videlicet, delicti, in territorij tamen ſtatuentis limitibus commiſſi. Cum diſtinctione tamen hoc etiam affirmandum fateor; nimirum, aut indigena ante temporis præſcriptionem in ſtatuto præfixi in bonum reipublicæ à Superiore pulſus, vel alia ſimili de cauſa domicilium mutauit; aut ſua ſponte duntaxat; aut denique in fraudem. In primo caſu, licèt terminus in ſtatuto, ſiue decreto præfixo currat; tamen in damnum indigenæ non labitur: quia cùm primùm iuſſu Superioris territorij fines exierit, deſinit eſſe ſubditus Prælati ſtatuentis, etiam in cauſis coram illo iam inchoatis. l. *ſi ma-*
C *ritus.* 15. *la* 2. §. *legis Iuliæ. ff. ad leg. Iul. de adult.* in qua ſic legitur. *Ne quis inter reos referat eum, qui tum ſine detractione reipublicæ cauſa abierit: neque enim æquum viſum eſt, abſentem reipublicæ cauſa inter reos referri, dum reipublicæ operatur.* & l. *hoc accuſare.* 12. §. *beneficio. ff. de accuſ. & inſcrip.* & facit bonus textus in l. *qui autem. in princip. ff. ſi quis caut.* l. *idem Vlpianus.* 12. §. *ſunt & alij.* l. *tutor petitus.* 28. l. *iuriſperitos.* 30. *ff. de excuſ.* arg. l. *iura.* 4. §. *fin. ff. de mun. & honor.* optim. arg. l. *Prætor eos.* 13. *ff. de vac. & excuſ. mun.* Bart. in l. 1. *de pœn.* Ratio autem eſt clara: quia obligatio ad incurrendam contumaciam neceſſariò ſupponit ſubiectionem: atque per realem domicilij mutationem ex iuſſu Superioris aufertur omnis

ſubiectio:

ſubiectio : ergo nulla prorſus remanet obligatio parendi A
ſtatuto, etiamſi terminus in eo præſignatus fluat; & per
conſequens nulla ſubdito poteſt conſtitui contumacia, per
quam cenſura in eum ſuum ſortiatur effectum; maximè
cùm cenſura in hoc caſu ſupponat inobedientiæ culpam,
quæ in eo nulla eſt, ac perinde ſubditus, extra territorium,
tali pœna, ſiue cenſura per ſtatutum, ſiue per ſententiam
lata, ligari non poteſt. Confirmatur: quia, quatenus reus
indigena in bonum reipublicæ, ſiue alia conſimili de cauſa
à Superiore pulſus eſt; iudicandum eſt, reum de tali cri-
mine ab eodem abſolutum eſſe; abolitio enim criminis im-
pedit, quominùs pro eodem delicto quis accuſetur. l. 1. *C. de* B
41 *abolit.* In aliis verò vltimis duobus caſibus propoſitis, nimi-
rum, cùm ſubditus ſuo proprio motu, ſiue in fraudem do-
micilium tranſtulerit, atque adeò poſt iudicium circa deli-
ctum anteà perpetratum, iam cœptum; tunc quoad hoc
concludendum eſt, dare ſubiectionem in ſubdito ad pro-
prium Superiorem, etiamſi de foro alterius fiat: & quanuis
tempus in ſtatuto præfixum, nondum elapſum ſit; verun-
tamen pœna, ſiue cenſura per ſtatutum fulminata eum in-
fligi dicendum erit: maximè, cùm tempus illud pro reo
ſemper currat. d. l. *ſi maritus.* §. *legis. ff. eod.* l. fin. *ff. de accuſ.*
*& inſcrip.* l. 1. *C. vbi de crim. agi oport.* l. *qui cum vno teſticulo.* §. C
*non omnis.* l. *de re milit.* l. *cùm quædam puella.* 19. *ff. de iuriſd.*
*om. iud.* l. *ſi quis Decurio.* 16. & *ibi* Bald. *C. de Decur. & fil.* & in
l. 1. *C. an ſer. ex ſuo fact.* Bart. in d. l. *ſi maritus. in* §. *ſi negaue-*
*rit. ff. eod.* & in d. l. 1. *ff. de pœn.* & cap. *dilectus. vt lit. pend.* cap.
*cùm ſit Romana. de appellat.* vbi Apoſtolus excommunicauit
Corinthium abſentem: & Calder. in cap. 1. *de rap.* & Hoſt.
in cap. *tuæ*, & in cap. vlt. *vt lit. non conteſt.* Abbas in cap. *li-*
*cèt. de for. comp. n.* 7. Et ratio eſt clara: quia quotieſcunque in
vno tribunali inceptum eſt iudicium, ibidem terminan-
dum eſt, l. *ſi quis.* 7. l. *vbi acceptum. ff. de iud.* & cap. *propoſuiſti.*
*de for. comp.* Quapropter ex eo, quòd indigena præuentus
eſt

A eſt à Iudice propter cauſæ inchoationem; ideò remanet ſubditus illius, donec totum terminatum ſit iudicium, pœnáque mulctatus fuerit. e. g. qui furtum per ſtatutum ſub excommunicationis pœna comminatoria prohibitum, Taurini commiſerit, & inde Mediolanum fugam arripuerit, ſi delinquens ante exitum ab Archiepiſcopo Taurinenſi iam citatione præuentus ſit, ab eodem Præſule, etiamſi extra diœceſim reperiatur reus, nihilominùs excommunicari, aut alia pœna puniri poterit. Ita Panor. in cap. fin. *num.* 7. 8. *&* 9. *de for. comp.* Sot. 4. *diſt. in* 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. *verſ. reſpondetur ergo.* Henriq. *lib.* 13. *de excom. cap.* 26. §. 2. Sayr. *lib.*
B 1. *de cenſ. cap.* 26. *num.* 43. Sin verò ante omnem iudicij inchoationem diœceſim relinquat, ſimúlque domicilium tranſportet, & vbi commiſſum eſt delictum nihil prorſus, niſi ſola culpa, præceſſerit; tunc non incurrit pœnam, ſiue cenſuram ſtatuti, niſi fortè ad requiſitionem dicti Archiepiſcopi Iudex, ſub quo degit fur, ipſum citet, & per citationem ad locum delicti requiſitum illum remittat, prout facere tenetur, ſecundùm notata per Abb. in d. cap. *licet. num.* 8. *de fòr. comp.* & DD. in cap. fin. *tit. eod.* alioquin delicta manerent impunita; & per conſequens facinoroſi à gladio Eccleſiæ immunes remanerent: contra tamen bonum
C Reipublicæ; expedit enim Reipublicæ, ne delicta maneant impunita, vt criminoſi pœna mulctentur condigna, l. *ita vulneratus.* 51. §. *æſtimatio autem. ff. ad leg. Aquil.* Quòd ſi citatus fur per Iudicem, ſub quo moram trahit, comparere recuſet; tunc per Iudicem delicti, nimirum, ab eodem Archiepiſcopo excommunicari, & aliis pœnis, in quantum cauſæ ſtatus patitur, puniri poteſt: quia iam conſtitutus eſt in contumacia per citationem Iudicis, vbi degit, ex Panor. in d. cap. fin. *num. eod. de for. comp.* Clemen. *Paſtoralis*, & arg. d. cap. *Romana.* §. *contrahentes. de ſent. & re iud. lib.* 6. Sylueſt. *loc. cit. in notabili* 4. P. Raynaudus, Henriq. Angel. & Sayr. *vbi ſup. cit. num.* 43. & alij quamplures.

Q Limitatur

Limitatur vltimò, ſubditos extra territorium à ſubie- A
42 ctione legis municipalis ſuæ patriæ minimè excuſari, ratio-
ne, ſcilicet, criminis notorij: Prælatus enim contra ſub-
ditos ſuos, etiam extra diœceſim exiſtentes, pro criminibus
notoriis procedere poteſt, & cenſura, ſiue quauis alia pœ-
na eos punire; maximè cùm delicta notoria cauſæ cogni-
tionem non exigant, ex cap. *euidentiam. de accuſat.* cap. *ma-
nifeſta. 2. quæſt.* 1. cap. *peruenit.* & arg. cap. *cùm ſit.* §. *fin. de ap-
pellat.* Panor. in d. cap. *nouit. num.* 3. *de off. leg.* Hoſt. & Ar-
chid. *ibidem.* & communiter omnes DD. Vnde ex hoc in-
ferunt, quòd ea, quæ ſine cauſæ cognitione, & ſine Tribu-
nali expenduntur, etiam extra territorium exercere poteſt B
vbilibet Prælatus.

Quare noſtra ſententia tot, tantíſque fundamentis, efficaciſſimis rationibus, atque authoritatibus fulta, videtur mihi ſufficienter probata, rationéſque dubitandi in contrarium poſitæ ex dictis etiam ſolutæ remanent: ideóque illam veram, & in practico vſu pluſquàm tutam, ab omnibúſque amplectendam fore cenſeo. Et ſi fortè ab aliquibus tantùm probabilis iudicaretur; nihilominùs cùm in rebus agendis omnimoda certitudo haberi nequeat, ſequitur, vt operans cum certitudine tantùm probabili, nec temerarius, neque minùs imprudens haberi poſſit; maximè cùm C
pro ſe rationes alicuius momenti habeat, ex quibus legis tranſgreſſor iudicari minimè poſſit: quia in rebus humanis non poteſt maior certitudo prudenter poſtulari: vix enim aliquod eſt ita euidens, quin habeat aliquem contradicentem. Confirmatur. Eadem ratio, quæ militat in ſpeculatiuis, debet etiam militare in moralibus: ſed in ſpeculatiuis opinio probabilis eſt, quam abſque deceptionis, & erroris periculo amplecti fas eſt: ergo in moralibus opinio probabilis eſt, quam abſque peccati periculo ſequi etiam licet. Nam, vbi eſt eadem ratio, ibi etiam eadem debet eſſe iuris diſpoſitio. l. *illud. ff. ad leg. Aquil.* l. *à Titio. ff. de verb. oblig.* Igitur,

A tur, quemadmodum in ſpeculatiuis cum ſola opinione probabili ſine deceptione definire, ac iudicare poſſumus: ita etiam in moralibus cum eadem abſque peccati periculo operari nobis licitum eſt, quippe quia ad melius, & perfectius amplectendum non aſtringimur. Nam intolerabile onus, atque non paucis ſcrupulis expoſitum eſſet, ſi opiniones probabiliores inueſtigare, atque amplecti teneremur, ad quas nec Deus, neque lex aliqua nos obligauit; ſed tantùm ad operandum cum ea morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Ita Greg. de Valent. *tom.* 2. *in* 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 12. *punct.* 5. *de imperio, dub.* 1. *per*
B *tot.* Suarez *tom.* 5. *de cenſ. in* 3. *part. diſp.* 40. *de irreg. ſect.* 5. *n.* 6. Azor. *tom.* 1. *inſt. moral. lib.* 2. *cap.* 16. *per tot.* & *cap.* 17. *ferè per tot.* Salas *de leg. in* 2. 2. *quæſt.* 96. *tráct.* 14. *diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 1. Enriquez *lib.* 4. *de irreg. cap.* 3. *n.* 3. Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *dub.* 13. *in noua edit. n.* 273. Leonardus Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iur. cap.* 29. *dub.* 8. *n.* 68. Layman. *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *n.* 7. Baſilius Pontius de Leon *lib.* 10. *de matr. cap.* 15. *n.* 4. Thomas Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 14. Garcias *de benef. tom.* 2. *part.* 11. *n.* 361. & omnes communiter. Item, ex Iuriſconſultis notabiliter colligitur, quòd, quando ad vnam, & eandem rem terminandam ſunt plu-
C res, ac diuerſæ opiniones, tunc decidens in re definienda liberè poteſt ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, abſque periculo peccandi, ac faciendi litem ſuam. Hoc communi, atque fideli omnium Doctorum, Canoniſtarum, ac Iuriſperitorum teſtimonio comprobatur, & præcipuè Baldi in cap. *ne innitaris. de conſtit.* Panormitani *in cap. primo, eod. titulo:* & ibi Felin. Hoſtien. & Canoniſtæ omnes. Angelus poſt alios in l. *dos à patre. C. ſolut. matrim.* Cyn. Bart. & Iuriſconſulti omnes in l. *cùm de nouo. C. de legibus.* Lambertus de Ramponibus in l. *non poſſunt. ff. eod. titulo.* Matthæus Mateſſellanus *in notabili tractatu ſuo de electione opinionum:* quos enumerat, & cum eis conſentit

Q 2 Nicolaus

Nicolaus Euerhardus *in ſuo opuſculo, inſcripto*, Loci argumentorum legales, *in loco ab authoritate, num.* 16. & faciunt etiam notata per Gloſſam *in Inſtit. de obligat.* & communiter omnes Doctores. Quæ omnia infallibili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio humillimè ſubmitto.

*Soli Deo Opt. Max. Beatæ Deiparæ Virgini, atque Sanctis, Ioſeph, & Bernardo, omnis honor, & gloria.*

# RERVM OMNIVM IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM

# SYLLABVS.

*Prior numerus Diſquiſitionem; ſecundus Paragraphum; tertius numerum Paragraphi; quartus paginam; literæ verò*, a, b, c, *locum paginæ deſignant.*

## A

*Abſens.*

ABSENS an reputetur, qui breui eſt reuerſurus. diſquiſit. 1. paragr. 5. n. 3. pag. 64. b
Abſentia, & præſentia diuerſimodè ſumuntur. ibid. num. 4. pag. 65. a

*Abſolutio.*

Abſolui, neque ligari nemo poteſt à ſuo non Iudice.

 diſquiſit.

diſquiſit.2.paragr. vn. n.2.& 25. pag.82.c, & 103.c

*Abſtinentia.*

Abſtinentia carnis an ſic obliget, vt quoties in die comeditur, toties mortaliter peccetur. diſquiſit.2. paragr. vn. n.9. pag.89.c. Vide, *Ieiunium.*

*Accidens.*

quod per Accidens eſt, non inſpicitur; ſed quod per ſe. diſquiſit. 1.paragr. 3.n.16. pag3.2.b

*Actio.*

Actio non fit extra ſphæram defectu poteſtatis. diſquiſit. 2. paragr. vn. n. 1. pag.82.b

*Actus.*

Actus ſolennitas pertinet ad territorium, vbi actus fit. diſq.1.paragr.5.n.17. pag.72.b

Actus illi, qui certam formam, & ſolennitatem requirunt, ſine adminiculo iuris nullum habent valorem. ibid. pag. ead.c

*Adoptio.*

per Adoptionem domicilium conſequitur. diſq.1.paragr.4. num.19. pag.41.b

*Aduena.*

Aduenas quando obligent leges, & conſuetudines locales. diſquiſit. 1. paragr. 3. num. 2. pag.21.b

Aduenæ non tenentur ampliùs obſeruare leges, quas iam in patria impleuerunt. ibid. pag.ead.c,& pag.22.a

Aduena quiſnam dicatur.diſq.1.paragr.4.n.10. pag.37.c

Aduena, accola, & incola, an pro eodem accipiantur. ibid. pag. 38. a

Aduena per nudam habitationem non acquirit domicilium, neque tenetur legibus localibus loci, in quo habitat. ibid. n. 30. pag. 44.b,c

Aduena per longam moram non efficitur ciuis, neque legibus loci moræ ſubiicitur.ibid. n. 34. pag. 47. b. quod Bugellenſium exemplo probatur.ibid.n.35.pag.ead.c, & pag.

pag. 48.a

Aduenæ non adimplentes leges locales, non incidunt in cenſuram loci latam contra non reuelantes. ibid. n. 46. pag.58.b

Aduenæ ratione moræ non incidunt in excommunicationem per ſtatutum latam. ibid. pag.ead.c

Aduenæ non ligantur cenſuris, etiam per ſententiam generalem, ſeu per præceptum vibratis. ibid.n.47. p.59.a,b

Aduenæ tenentur legibus, & conſuetudinibus, quæ ſunt de iure communi, vbicunque reperiantur. diſq.1.paragr. 5.num.1. pag.61.a

Aduenas leges locales non adſtringunt. ibid.n.9. pag.68.a

Aduenæ à legibus, & conſuetudinibus municipalibus non eximuntur, quoties eatum effectus dat formam contractibus. ibid.n.11. pag.69.a

Aduenæ formam, & ſolennitates in contractibus requiſitas, vbi celebrantur contractus, ſeruare tenentur. ibid.n.12. pag. 69.c

Aduenæ, & forenſes in conficiendo teſtamento tenentur ad ſolennitates teſtamenti eius loci, in quo teſtari volunt. ibid. num. 17. pag.72.a

Aduenæ ſubiiciuntur legibus municipalibus ratione rei ſitæ. ibid. n. 19. pag.73.b. Vide, *Alienigenæ. Forenſis. Peregrinus.*

*Alea.*

Aleis ludentes extra territorium non afficiuntur excommunicatione vibrata per ſtatutum contra ludentes. diſq. 2.paragr. vn.num.4. pag 84.b

*Alienigenæ.*

Alienigenæ ligantur legibus, & conſuetudinibus loci, quando legis tranſgreſſio cedit in damnum Reipublicæ. diſq. 1.paragr.5.n.19. p.72.c. Vide, *Aduena. Forenſis. Peregrinus.*

*Anathema.*

Anathematizauit quendam Fratrem poſt mortem S. Ioannes

nes

nes Gualbertus.diſq.2.paragr.vn.num.30. pag.108.b, c

Anathematizatio in defunctos vibrata an excommunicatio dici poſſit. ibid. pag.ead.c

Anathema quid ſit. ibid. pag.109.a

Anathema,& excommunicatio in quo differant. ibid.n.31. pag. ead. a,b

Anathema quid ſignificet. ibid. pag.ead.b,c

ad Anathematizandum an requiratur iuriſdictio. ibid. pag. 110. b

Anathematis verbo,poſt verbum excommunicationis,ſemper vtitur Eccleſia in ſuis ſententiis,& decretis.ibid.n.32. pag.110.c.Vide *Cenſura. Excommunicatio.*

*Angelus.*

Angeli die Dominico creati ſunt, & boni ſunt glorificati, mali verò in Infernum deiecti.diſq.1.par.2.n.6. pag.14.c

*Anima.*

Animæ in Purgatorio exiſtentes Eccleſiæ ſuffragiis, atque ſepulturæ honore ab Eccleſia priuari poſſunt. diſq.2. par. vn.num.27. pag.105.a,b

*Antipapa.*

contra Antipapas Concilium Lateranenſe II. celebratum fuit, quando, ſub quibus, & quot Epiſcopi reſederunt. diſq.1.paragr.1.n.16. pag.8.a

*Apocalypſis.*

Apocalypſis fuit reuelata Ioanni die Dominico. diſq.1. paragr.2.n.6. pag.15.c

B

*Beatitudo.*

BEatitudinis completæ in anima, & corpore initium dabitur die Dominico. diſquiſit. 1. paragr.2.num.6. pag. 15.c

*Beneficium.*

***Beneficium.***

Beneficij,ſeu diſpenſationis litteræ Apoſtolicæ an ſubreptitiæ eſſent ex variatione ortus. diſq.1.paragr.3.num.11.& num.12. pag.29.c,& pag.30.a

per Beneficium reſidentiam requirens domicilium acquiritur.diſq.1.paragr.4.n.18. pag.40.c,& 41.a

***Bonum.***

propter Bonum commune Reſpublica punit, etiam poſt mortem,delicta enormia in vita commiſſa. diſq.2.paragr. vn.n.27. pag.105.b

## C

*Caro.*

CArnis abſtinentia an ſic obliget, vt quoties in die comeditur,toties mortaliter peccetur. diſq.2. paragr. vn.num.9. pag.89.c. Vide, *Ieiunium.*

*Cauſa.*

Cauſas per quas res naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. diſq. 1. paragr.4.n.32. pag.46.a

*Celſitudo.*

Celſitudinis Realis Sabaudiæ familiares non tenentur ad triduanam Rogationum obſeruationem, dum Camberij moram trahunt.diſq.1.paragr.4.n.41. pag 52.a,b

Celſitudinis Realis Familiares Camberij degentes,quanuis ibi eſſent per mille annos, legibus, præceptis, & ſtatutis territorij Taurinenſis minimè obligantur, dum à patria abfuerint. diſquiſitione 2. paragr.vn. num. 5. pag.85.c

*Cenſura.*

in Cenſuram loci latam contra non reuelantes non incidunt aduenæ non adimplentes leges locales. diſquiſit. 1. paragr. 4. num. 46. pag. 58. b

Cenſura contra delinquentes laxata non operatur in loco

exempto. diſq.2.paragr.vn.n.16. pag.97.a
Cenſura lata contra non reſidentes, an liget Clericos extra territorium degentes. diſquiſit.2.paragr.vn. num.19. pag.99.a
ad Cenſuram incurrendam an peccatum dicatur conſummari in ipſomet actu externo prohibito reſidendi. ibid. pag.99.b,& 100.b
Cenſura contra non venientes ad Synodum, an liget Clericos extra territorium. ibid. pag.ead.c
ad Cenſuram contra non reſidentes laxatam incurrendam, an peccatum inchoetur in territorio reſidentiæ. ibid. num.20. pag.ead.c,& ſeq.
Cenſuræ pœna an non incurratur, donec delictum plenè conſummatum fuerit. diſq.2.paragr.vn.n.22. pag.101.a,b
Cenſura non incurritur niſi propter delictum conſummatum in ea ſpecie, in qua ſub cenſura prohibitum eſt. ibid. pag.ead.c
Cenſura incurritur propter vulnus mortiferum alicui inflictum in territorio, vbi homicidium ſub cenſura prohibitum eſt, licèt mors alibi ſequatur, vbi non eſt ſub cenſura prohibitum. diſq.2.paragr.vn.n.24. pag.102.b
Cenſura delicto impoſita vt incurratur, an attendatur territorium, vbi effectus delicti extrinſecè ſequitur, an territorium, vbi intrinſecus delicti effectus conſummatur. diſquiſit.2.paragr.vn.num.38. pag.116.c
Vide, *Anathema. Excommunicatio.*

*Chriſtus.*

Chriſti Diuinitas ab Arianis impugnata per Concilium Nicænum ſub S. Sylueſtro ſtabilita. diſquiſit.1.paragr.1.n.7. pag.6.a
Chriſtum in duas perſonas diuidebat Neſtorius, aduersùs quem habitum fuit Concilium Epheſinum. ibid. num.9. pag.ead.b,c
in Chriſto vnam tantùm naturam poſt Incarnationem aſſerebat

rebat

rebat Eutyches Archimandrita, qui à Chalcedonenſi Concilio condemnatus fuit. ibid. n. 10. pag. ead. c

in Chriſto vnam tantùm voluntatem eſſe volebant aliqui Hæretici, à Concilio Conſtantinopolitano damnati. ibid. num. 12. pag. ead. b

Chriſti, atque Sanctorum Imagines omni ſpoliantes honore damnauit Adrianus Summ. Pont. vnà cum Synodo. ibid. num. 13. pag. ead.

Chriſtus die Dominico incarnatus eſt. diſq. 1. paragr. 2. num. 6. Eum ipſa die tres Magi adorauêre. ibidem. Illa die in Iordane à Ioanne Baptiſta baptizatus fuit. ibidem. Tali die in Cana Galilææ aquas in vinum conuertit. ibidem. Eadem die quinque millia hominum in deſerto quinque panibus, & duobus piſcibus ſaturauit. ibidem. Ea die, deſtructis Inferni clauſtris, Sanctorum animas è Limbo eduxit à mortuis reſurgens. ibidem. Ipſa die Mariæ Magdalenæ, & Apoſtolis poſt reſurrectionem ſæpè manifeſtus apparuit. ibidem. Hac die in Reſurrectione generali reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. ibid. pag. 15. a, b, c

Chriſti Euangelio non tolluntur leges politicæ. diſq. 1. paragr. 5. n. 15. pag. 71. c

*Ciuis.*

Ciuis, municeps, & incola in quo differant. diſq. 1. paragraph. 4. num. 5. pag. 37. b

Ciuis quiſnam dicatur. diſq. 1. paragr. 4. num. 6. pag. ead.

Ciuis non efficitur quis per longam moram, neque legibus loci moræ ſubiicitur. diſquiſit. 1. paragr. 4. num. 34. pag. 47. b. Quod Bugellenſium exemplo probatur. ibid. num. 35. pag. ead. c, & pag. 48. a

*Clericus.*

Clerici, & laïci omnes per acquiſitionem domicilij accidentalis legibus municipalibus aſtringuntur. diſq. 1. paragr. 4. num. 24. pag. 42. a, b

Clerici tenentur pragmaticam ſeruare, non vi ſæcularis legis, ſed diuinæ, & naturalis. diſquiſit. 1. paragr. 5. n. 15. pag. 70. c, & pag. 71. a, b

Clericus delinquens extra diœceſim non ligatur pœna ſtatuti, aut præcepti ab Epiſcopo impoſita. diſquiſit. 2. paragr. VII. n. 12. pag. 93. b, c

*Clerus.*

ſine Cleri, populíque conſenſu non debent Epiſcopi dies feſtos inſtituere. diſqu. 1. paragr. 2. num. 8. pag. 17. a, b

*Communitas.*

Communitas, ſiue Reſpublica, ſine Epiſcopi conſenſu, tacito, vel expreſſo, dies feſtos inſtituere non poteſt. diſquiſit. 1. paragr. 2. num. 10. pag. 17. c. Vide, *Reſpublica.*

*Concilium.*

Concilia generalia quæ. diſqu. 1. paragr. 1. num. 6. pag. 5. c

Concilia aliqua œcumenica cur dicantur. ibid. pag. ead.

Concilia œcumenica quot hucvſque numerentur. ib. p. ead.

Concilium Nicænum quando celebratum fuit, ſub quo Pontifice, quot Epiſcopi interfuerunt, & quid definitum in illo. ibid. num. 7. pag. 6. a, b

Concilium Conſtantinopolitanum ſub quo, & quando celebratum fuit. ibidem, num. 8. pag. ead. b

Concilium Epheſinum ſub quo, & quando. ibid. num. 9. pag. ead. b, c

Concilium Chalcedonenſe ſub quo, & quando celebratum. ibid. num. 10. pag. ead. c

